SPRAWOZDANIE

DYREKCYI

c. k. wyższego gimnazyum

w

Tarnopolu

za rok szkolny 1888.

W TARNOPOLU.

NAKŁADEM FUNDUSZU SZKOLNEGO.

Z drukarni Józefa Pawłowskiego.

1888.

SPRAWOZDANIE

DYREKCYI

c. k. wyższego gimnazyum

w Tarnopolu

za rok szkolny 1888.

Treść:

W TARNOPOLU.
Nakładem funduszu szkolnego.

Z drukarni J. Pawłowskiego.
1888.

SAPPHO PHAONI.

§. 1.

Quamquam neminem novi, qui *epistulae tenorem et sententiarum ordinem* turbatum atque interruptum contendat eaque de causa epistulae auctoritatem impugnet, tamen aliquot locis verba sententiaeque non tam arte continuatae mihi quidem videntur. Quoniam vero non contendo, totum carmen esse turbatum, sed plurimas eius partes bene inter se nexas colligatasque esse libenter concedo et quoniam non id agitur, ut argumentum totius carminis omni dicendi copia enarretur — neque enim quidquam negotii inest, cum res notae sermone trito dilucide et perspicue exponantur — sed potius id quaeritur, utrum epistula haec Ovidio auctori possit assignari necne: propterea eas partes, quae rem apte continuare videntur, breviter absolvam, in eos vero locos, quibus sententiae commode se excipere non videntur, diligentius inquiram. Eadem etiam de causa hoc loco illas sententias attingam, quae non tam continuatae orationi, quam consilio et proposito carminis amatorii repugnare dicuntur.

Post aptum et vere Ovidianum introitum, quo femina, a qua epistula veniat, indicatur (v. 1—4), statim Sappho suum in Phaonem amorem profitetur, quem poëtico more cum messium agrorumque incendio et cum Aetnae ardore comparat; quem ob amorem nec lyrica carmina pangere potest nec quas antea non sine falsa criminatione amaverat, Lesbiacae puellae iam ei gratae sunt: quae tot amicas diligebat et a tot diligebatur, nunc improbus Phaon unus habet (v. 20). Deinde cur in Phaonem amore exarserit, causam affert, quae tanta eius formositas (facies) et iuventus (apti anni) erat, ut si fidem pharetramque aut cornua adsumeret, manifestus Apollo aut

Bacchus fieret. At si — ita enim Sappho rem longius persequitur — Apollo Daphnen, Bacchus Ariadnen amaverunt, quarum neutra carmina componere docta erat, quanto magis ego tuo amore digna sum, cui musae carmina mollissima suggerunt et cuius nomen per omnes terras celebratur, ut ne Alcaeus quidem, quamvis sublimius sonet, maiorem gloriam habeat. Quodsi mihi natura maligna corporis pulchritudinem denegavit, haec formae dispendia ingenii gloria compenso: parva quidem statura sum, at fama mea per omnes fertur terras, candida non sum, at etiam Andromeda fusca Perseo grata erat et saepe columbae albae copulantur cum versicoloribus et ater turtur ab ave viridi amatur, ceterum si nullam aliam, nisi quae te corporis venustate exaequaverit, diliges, nullam, mihi crede, unquam amabis, nam nullam talem invenies. At ego cum mea carmina legerem, etiam formosa tibi videbar, cum cantarem, furtim me osculabaris, sed tum praecipue tibi grata eram, cum rebus venereis fruebamur: tum tibi placebat mea mobilitas, verba lusibus idonea et languor in corpore post gaudia amatoria (v. 59).

Optime sententias procedere videmus, nisi quod vetustissima excerpta Parisina post v. 32 exhibent ita:

33[1]: nec me despicias si sim tibi corpore parva
34[1]: mensuramque brevis nominis ipsa fero.
33: sum brevis, at nomen quod terras impleat omnes
34: est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Quod utrumque distichon nullo pacto ferri posse mihi quidem videtur, cum et veri dissimile sit, poëtam in duobus proximis distichis pentametros paene eosdem adhibuisse, et prius distichon mendosum sit, quippe in eo de brevitate nominis agatur, etiamsi v. 28 praecesserit:

iam canitur toto nomen in orbe meum.

Si vero corrigamus in: *mensuram brevis corporis ipsa fero*, talis sententia omni sensu careat. Equidem prius distichon a librario quodam, qui genuinum distichon imitando exprimere voluerit, profectum et margini adscriptum, posterius vero inter verba poëtae errore receptum opinor. Quibus duobus versibus eiectis optime se sententiae excipiunt, nam sententia: „ingenio formae damna rependo meae“ optime explicatur his: sum brevis et non candida, at haec corporis damna rependo magna mei ingenii gloria — hac nominis mei gloria me metiaris velim.

Iam hoc loco manifestum nos habere indicium puto, ex quo intellegatur, impii interpolatoris acumen ingenii in nostram quoque epistulam grassatum esse, quare summa quidem cautione et prudentia in recensendo eius textu utendum, at qua in opere omni a parte genuino, non eadem verecundia defendenda esse censeo omnia ea, quibus facile carere possimus, praesertim cum ambitus quoque epistulae solito maior suspicionem moveat, nonnullas eius partes spurias esse posse.

Quare etiam versus 37—40 me non desiderare libere profiteor et librarii studio amplificandorum poëtae verborum adiectos esse suspicor. Verba enim ‚*haec quoque laudabas*' otiosa sunt et ut locos copulent, ideo addita videntur, cum is, qui oscula raptim det, ea laudare iam non opus habeat. Verba *omni tibi parte placebam* codice optimo servata Ovidiani moris non sunt, qui semper: *omni a* vel *ex parte* dicit (Met. IV. 367, IX. 38, X. 374, XI. 490, Rem. 42, 358, F. III. 377, V. 158), quare etiam iis, qui locum Ovidianum esse censent, *omnique a parte placebam* legendum est. Versus: *sed tum praecipue, cum fit amoris opus* vel mediocri ingenio indignus est, cum propter antecedens ‚*laudabas, placebam*' non *fit*, sed praeteritum tempus ponatur necesse sit. Praes. historicum, quod dicunt, hic nullum locum habere posse, manifestum est. Neque *confusa voluptas*, quam lectionem fere omnes codices tuentur, communis consuetudo sermonis esse videtur. Nam *confundendi* verbum et totius loci obscoenitas postulant, ut *voluptatem* metaphorice de genitura hominis, quae confundi potest intellegamus: Plin. 17. 14. 12: profluvium genitale, 22. 22 profluvia geniturae, Cels. 4. 21: nimia profusio seminis. Cum vero neque Ovidius neque ullus alius aequalis scriptor, sed multo posterius Hyginus Astron. 2. 13 et Arnobius 5 p. 158 hac translatione sint usi, non Ovidii, sed interpolatoris vestigia indago. Qui locum spurium esse non concedunt, ii ex uno eodemque recentiore codice Palatino lectionem variantem *consumpta* recipiunt, quae tamen mutatio probabilis esse non videtur, cum Ovidius semper scribat: voluptatem capere, percipere, frui, perfrui, Rem. 413: finita voluptas, nunquam vero: *voluptatem consumere*, quod verbum ei idem est, quod *abuti*, e. g. tempus consumere Met. 2. 575, Am. 2. 10. 37, preces M. 8. 106, Her. 6. 161; Pont. 4. 10. 5: anulus usu consumitur, M. 9. 663: lacrimis suis consumi, Pont. 4. 8. 49; Met. 8. 875, 14. 148: senectute; Ibis 143. Praeter

has orationis difficultates etiam obscoenitas loci impedit, quominus eum genuinum putemus. Nam etsi supra (I. p. 53)[1] in universum docui, heroinas in epistulis amatoribus perfidis etiam obscoenas res, quas cum iis commisissent, in memoriam revocare et Ovidium comicorum commentis obstrictum revera arbitratum esse, vitam Sapphus moresque lascivos fuisse, tamen etiam hoc animadvertendum puto, quo sensu nostra epistula scripta sit et utrum totus eius habitus tantam turpitudinem admittat necne. Iam qui v. 133 perlegerit, persuadebit sibi, poëtriam pudori studere neque impudico ore loqui velle. Denique, id quod nullius momenti non est, facile his verbis carere possumus, quippe quibus omissis continuatio orationis iacturam non faciat et praegressis bene adiungatur v. 51:

nunc tibi Sicelides veniunt nova praeda puellae.

i. e. quam antea tam immodice amasti, nunc deseruisti me et in Siciliam aufugisti, ubi Siculas puellas amabis, quam ob rem Sappho desperata exclamat v. 52:

Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.

i. e. Lesbum patriam relinquam et in Siciliam me conferam. Post haec verba unusquisque se comperturum sperat, quid Sappho in Sicilia factura sit. Pro eo legimus v. 53:

o vos erronem tellure remittite vestra
Nisiades matres Nisiadesque nurus

i. e: nolo Sicelis esse, sed manebo Lesbi, quae sententia prima specie praegressae contraria esse videtur. Equidem inconstantiam et discrepantiam locorum nolo statuere et correctionis figuram rhetoricam inesse libenter concedo, qua Sappho votum suum mutet et melius fore, si sibi a Siculis remittatur Phaon, declaret. Qui tamen transitus ne admodum repentinus videatur, addam, *volo* non significare consilium, quod Sappho ceperit et enixe ad exitum perducere constituerit, sed noto loquendi usu optativi vim habere: velim quidem Sicula esse, at (quoniam id nunc fieri nequit) vos mihi Phaonem remittite neve blanditiae eius linguae vos decipiant, tu quoque Venus consule mihi vati tuae. V. 59 ita est adnectendus, ut ex superioribus interrogatio suppleatur:

numquid Venus mihi, vati suae, consulet?
v. 59: an gravis inceptum peragit fortuna tenorem
et manet in cursu semper acerba suo?

---

1) Program. gimn. Tarnoviensis 1886.

Quam interrogationem cum affirmativum responsum sequatur necesse sit, iam fortunam re vera sibi fuisse in tota vita adversam et mansisse semper in cursu suo acerbam hisce disertis exponit poëtria verbis: sex annos nata patris ossa ante tempus collecta lacrimis conspersi, deinde frater scorti amore victus iacturam rei familiaris fecit cum dedecore iunctam: egenus factus percurrit maria et quaerit male divitias, quas male perdidit, me quoque odio persequitur, quia saepe eum fideliter monui, libertas linguae hoc mihi attulit et mea erga eum pietas. Et tamquam desint, quae me sine fine urgeant, parva filia auget meas sollicitudines. Ultima vero et maxima causa mei maeroris est Phaon dilectus, qui nunc perfide me deseruit, ob quam causam veste vili induor, nullum aurum in capillis meis est, coma non fragrat rore Arabo. Neque tamen huius desultoris oblivisci possum, cum aut natura aut poësi amatoria cor meum molle ingeniumque ad amorem propensum factum sit. Post quae legimus v. 85:

quid mirum, si me primae lanuginis aetas
abstulit atque anni, quos vir amare potest?

quod distichon non recte orationem continuare mihi quidem videtur. Nam verba *quos vir amare potest* postulant, ut *primae lanuginis aetatem et annos* non ad Phaonem, sed ad Sappho referamus eiusque florentem iuventutem intellegamus. Sed in eo ipso multis de causis offendo. Nemo enim ita cogitat et argumentatur: sive natura sive poësi amatoria ingenium meum molle et ad amorem propensum factum est, quid mirum, si me *mea* florens iuventus abstulit, nam tantum abest, ut comperiamus, quid tale Sappho propter ingenium molle et ad amorem propensum faciat, quod non miremur, ut nova causa (i. e. primae lanuginis aetas et anni) adferatur, cur ablata sit. Ingenium Sapphus molle et ad amorem propensum prorsus sufficit, ne miremur, quod ad amorem abrepta sit, nec nova causa allata opus est. Quoniam vero iuventutis mentio facta est, equidem hunc sententiarum ordinem requiro: iam natura ingenium meum molle est et ad amorem propensum, quid igitur mirum, si me *Phaonis* aetas florens abstulit. At tum mutandum est nobis in: *quos virgo amare potest*, id quod metricae leges facere non permittunt. Deinde grammaticae ratio obstat, quominus primae lanuginis aetatem et annos ad Sappho referamus, nullum enim obiectum habemus ex verbo ‚abstulit' aptum, quod semper ita

usurpatur, ut nos aliena virtute vel re, non nostra auferri dicamur, quae virtus vel res obiectum est, ad quod verbi actio dirigitur e. c. Her. 12. 36: abstulerant oculi lumina nostra tui. Rem. 343: auferimur cultu (puellae). Cic. fam. 2. 7. 1: ne te auferant aliorum consilia. Quint. 10. 7. 23; 8. 3. 5. Etiam *lanugo* verius et saepius de puero, quam de puella usurpatur: Ovid. Met. IX. 398, XII. 291, XIII. 754, F. 5. 173, Verg. Aen. 10. 324, Svet. Nero. 34: iuvenis adultae lanuginis, Amm. 31. 10: prima lanugine iuvenis. Denique respiciendae sunt hae res: Sappho eo tempore, quo consuetudinem cum Phaone habuit, in prima iuventute non erat, facit enim v. 70 filiae suae mentionem, v. 33 dicit: *est mihi nomen, quod terras impleat omnes*, id quod in prima iuventute fieri non solet; atque adeo Welcker enumeravit, Sappho tempore itineris sui in Siciliam iam annum 40 agere coepisse. Nec Phaon *vir* dici potest, cum v. 93 adpelletur:

o nec adhuc iuvenis, nec iam puer, utilis aetas.

et *primae lanuginis aetas et anni* optime in eum conveniant propter eundem ipsum versum et propter v. 21: *est in te facies, sunt apti lusibus anni*. His igitur omnibus rationibus, cum *quos virgo amare potest* per leges metricas scribere non liceat, adducor, ut versum mendosum, at non corruptum, sed ab interpolatore additum esse suspicer, qui verba poëtae dilatare voluerit. Nam hoc disticho eiecto sententiae, quae sequuntur a v. 87:

hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam...

optime cum superioribus cohaerent ostenduntque, poëtriae ultimam et maximam maeroris causam semper Phaonem fuisse, qui ne propter formositatem eximiam ab Aurora, Phoebe aut Venere sibi raperetur, semper poëtria timuit vitamque miseram et sollicitam egit; nunc quoque hanc epistulam scribenti lacrimae obortae lituram faciunt (v. 98).

Uberrimas tamen lacrimas profundit poëtria et queritur propterea, quod necopinans a Phaone deserta est, qua re comperta propter subitum improvisumque dolorem adeo attonita et obstupefacta fuit, ut nec loqui nec flere potuerit; postea demum, cum torpor se minuisset, desperationis plena pectus planxit et scissis crinibus misere lamentata est, perinde ac si mater filii funus lugeret. Quamquam hunc eius luctum, cui se tota ante oculos omnium dederat, frater irrisit et maledica lingua per-

strinxit, tamen poëtria palam magna voce ululare non desiit, cum amoris ardor pudorem non reciperet (v. 122).

At nec dormiens Phaonis amati oblivisci potuit, sed etiam in somnis cum eo tamquam vigil cum vigili nugata est et lasciviit, quae tamen omnia plenius enarrare pudor ei non permittit v. 131:

blandior interdum verisque simillima verba
eloquor et vigilant sensibus ora meis:
ulteriora pudet narrare, sed omnia fiunt,
et iuvat et sine te non licet esse mihi.

Hunc locum viri docti varias ob causas impugnant et Ovidio abiudicant e. c. Teuffel [1]) dicit: der Brief der Sappho macht sich durch Carikieren der ovidischen Eigenthümlichkeiten und durch Plumpheit sehr verdächtig z. B. v. 24. 49. 93. 133. 144. 207 ff. At neque hoc loco, nec ceteris a viro litterato vituperatis aut sermonem rusticum aut quae Ovidii sint propria, distorta et depravata esse mihi quidem exploratum est. Birtius l. l. p. 388 addubitat et ridiculam vocat sententiam: *vigilant sensibus ora meis.* Ante omnia monendum est, similem locutionem neque apud Ovidium neque usquam alibi inveniri posse, quae tamen una res discrimen facere non potest, si modo verba explicationem habeant. Loersius commentatur: sensibus meis=animo meo. Sed quid sibi velit: ora vigilant animo meo' non addit. Quod affert Her. 9. 120: *venit ad sensus mollis ab aure dolor*, Pont. III. 4. 36: *excuteret frigus sensibus omne meis*, nihil prodest, nam haec exempla verbum *vigilare* non habent nec nostrum locum explicare possunt. Alii simpliciter quinque sensuum eos, quorum sedes in oribus est, e. c. visum, auditum, intellegunt et explicant: sola ora sensibus vigilant, reliquo corpore sopito. At tum desideremus: ora vigilant sensibus suis non meis, et sensibus suis ablat. instrumenti sit. Mihi vero auctore Propertio 2. 3. 7:

aut ego si possem studiis vigilare severis,
differtur, nunquam tollitur ullus amor.

‚vigilare' idem valet, quod consulere, prospicere, vacare alicui' et sensibus dativus est ex ‚vigilant' aptus, quo modo habeamus: ora consulunt et prospiciunt sensibus meis. *Sensus* autem (Cic. n. d. 3. 13: si voluptatis sensum capit; Cic. am. 8. 27: sensus

1) Hist. litt. Lat. pag 527.

amoris; Cic. de orat. 3. 25: ut oratio sensus, ut dolores habeat) significant *voluptates*, *gaudia*, quae Sappho in somno percepit; quae si ita sunt, illa verba tantundem valent, quod: ora consulunt voluptatibus meis i. e. ora vigilantia proferunt, indicant sensa animi, e. c. dormiens blandior et loquor cum Phaone, ac si vigilem, ut etiam Cic. de or.: *vultus sensus animi plerumque indicat*. Idem vir doctus v. 133: *sed omnia fiunt* propter v. 135: *et omnia secum* vituperat, quod eadem clausula proxime adplicatur; quae tamen repetitio in V. pede magni facienda non est, cum similia non raro occurrant: Her. V. 21: mea nomina fagi, v. 23: mea nomina crescunt; IV. 78: pulvis in ore decet, v. 80: miror in orbe pedes; v. 104: deperit illa semel, v. 106: credulus ille toro; vel etiam III. 117: tenuisse puellam, 118: increpuisse lyram, et saepe ita. Denique sententia: *et sine te non licet mihi esse* in tali summae voluptatis descriptione ieiuna vocatur nec tolerari posse putatur, quare alii, ut sensus fiat obscoenus, legunt: *et siccae non licet mihi esse*, alii *non* in *sic* mutant, quo sententiam acuminis Ovidiani pleniorem fieri arbitrantur. Equidem illam vulgatam optimo codice defensam lectionem amplector itaque explico, ut haec verba clausulam quandam totius loci esse et idem declarare censeam, quod inest v. 80: *et semper causa est, cur ego semper amem*, ita ut ne in somno quidem Phaonis desultoris obliviscar, sed mihi etiam dormienti sine eo non liceat esse. Iam utrum *licet*, an *libet* legatur, parum refert, nisi quod *licet* gravius et fortius est et propter v. 79:

molle meum levibusque cor est violabile telis

fortasse etiam praeferendum. Quae cum ita sint, locus Ovidianus retinendus mihi quidem videtur.

Sappho somno excita queritur, illa somnia amatoria admodum brevia fuisse et tamquam furiis agitata antra et nemora, ubi quondam cum Phaone voluptatis causa ambulabat, percurrit, ut ibi eum inveniat. Cum diu frustra errasset neque eum reperisset, lassa membra humi prostravit. Iacenti in herba Naias, nympharum una, se obtulit et consilium dedit, ut Deucalionis amore Pyrrhae succensi exemplum secuta in Leucadium promunturium proficisceretur ibique de Leucate petra in mare se praecipitaret, quo saltu feliciter dato amoris aestu liberaretur. Quo consilio Sappho uti constituit, nam quidquid futurum sit, melius quam nunc fore sperat, et Amoris et Phoebi, illius loci

patroni, auxilium invocat eique pro salute votiva munera pollicetur (v. 184).

Antequam tamen hoc a Naiade datum consilium perficiat Leucadiique saltus utique periculosi fortunam experiatur, animum Phaonis frigidum hac nostra epistula flectere, omni facundia ad amorem sui revocare et ad reditum adducere vult itaque concludit v. 211: si redire constitueris, noli profectionem differre et me longa mora cruciare, sed solve quam citissime navem: Venus enim praestabit tibi mare pacatum, ventum habebis secundum et cursum felicem, sin autem, quamquam me fuga dignam esse non invenies, in sententia tua perstare nec reverti malueris, at (v. 119:)

hoc saltem miserae crudelis epistula dicat,
ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

Quod ultimum epistulae distichon Heinsius et Bentleyus genuinum non agnoscunt, sed allato Her. XIX. 118 sqq.:

quodsi quam sciero, moriar, mihi crede, dolendo
iamdudum pecca, si mea fata petis.

ubi *fata petere* idem est, quod *mortem oppetere*, affirmant, locutionem: *Leucadiae mortem oppetere aquae* tam esse insolitam, ut nullo pacto Ovidio adiudicari possit. Alii viri docti mutandis verbis locum sanare volunt. Sed, quod pace magnae horum virorum doctrinae liceat mihi dicere, equidem distichon dictione respecta planum et emendatum et quod sensum attinet, adeo aptam et necessariam puto epistulae clausulam, ut ea vix carere possim. Atque primum de morte una et sola, ac si Leucadius saltus nullum alium nisi infelicem eventum habeat, cogitari nequit, cum praecipitantes se dehinc non semper fluctibus obruti vitam amiserint, sed multo saepius periculo feliciter perfuncti amore liberati sint, ut etiam v. 165 sqq. Naias nympha ad audendum illum saltum eo poëtriam cohortatur, quod ei narrat, Deucalionem quoque *illaeso* corpore inde desiluisse amoreque levatum esse. Deinde Sappho vitam amittere nolle docet vocabulum *misera* n. l. et v. 185 et totus locus v. 185—192:

cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
cum profugum possis ipse referre pedem?
tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda,
et forma et meritis tu mihi Phoebus eris,
an potes, o scopulis undaque ferocior omni,
si moriar, titulum mortis habere meae?

at quanto melius tecum mea pectora iungi,
quam saxis poterant praecipitanda dari!

Si vero hac epistula nihil profecerit nec Phaonem ad amorem sui adduxerit, tum demum se paratam esse dicit ad subeunda illius saltus pericula, non tamen ita, ut nullum alium eventum nisi mortem quaerat et exspectet, cum talis sententia toti loco repugnet neque ulla re suggeratur: poëtriam enim bene sperare posse docet v. 177 sqq.:

. . . aura, subito:
et mea non magnum corpora pondus habent.
tu quoque, mollis Amor, pinnas suppone cadenti,
ne sim Leucadiae mortua crimen aquae.

Si quis dicat, Sappho in fine epistulae desperationis plenam mutare suum consilium et paratam iam esse ad mortem oppetendam, eum rogem, cur poëtria nullo alio modo neque usquam alibi, sed per saltum Leucadium mortem oppetere constituerit? Nonne ubique locorum mortem sibi consciscere potuit? Si vero ‚fata Leucadiae aquae petere' vult, iam eam sperare veri simile est, se periculo saltus feliciter perfunctam amore misero liberatam fore.

Sed nec consuetudine sermonis cogimur, ut de morte sola cogitemus: *Fatum* a *fari* derivatum significat id, quod nobis deorum consilio *fatum* est et quod Graeci teste Cic. div. I. 55. 125 *εἱμαρμένην* adpellant, declarat igitur omnia bona et mala, quae cui destinata sunt eumque manent, quare etiam fatum sinistrum Ovid. Met. 10. 129, adversum Met. 13. 156, mutabile Stat. Th. 10. 378 legitur. Quae cum ita sint, fatum mortem quoque designare posse non nego, ubi id loci sensus, attributum aut verbum exigit, ut Met. VI. 642: satis ei ad fata vel unum vulnus erat, Verg. Aen. 12. 395: depositi (morientis) proferre fata parentis; Flor. 3. 9. 4: fata veneno praecipere, Iust. 9. 8. 2: fato perire, Quint. 3. 7. 10: fato fungi. Persaepe autem principali illa significatione, in qua vocabulum hoc est natum, intellegendum est. Ita Verg. Aen. 4. 614: *Iovis fata*, Lucan. 1. 599: *deum fata* significant eam, quam dii ferant vitae sortem, non mortem. Cic. Cat. III. 4. 9 *fata Sibyllina=fata Sibyllae* ea sunt, quae Sibylla respondit i. e. Lentulum esse tertium Cornelium, ad quem imperium pertineat. Ovid. Tr. V. 3. 17: dominae fati quidquid cecinerunt sorores. Liv. 20. 10 fata cum ominibus oraculisque coniungit. Ita quoque fata

Leucadiae aquae ea sunt, quae Leucadia aqua Sapphoni feret, quam sortem ei destinabit, i. e. utrum poëtria de Leucate petra desiliens peritura, an infelici amore levata illaeso corpore evasura sit, nam v. 171: *hanc legem locus ille tenet*. Etiam *petere* non est *oppetere*, sed *adire*, *requirere*, *experiri*. Cic. div. 1. 40. 80: oracula petere, Vopisc. Aur. 19: fata rei publicae requirere; Cic. Her. 2. 22. 34. dilecti viri petebant pellem inauratam... Caes. B. C. 2. 16: fortunam experiri. Sensus igitur nostri loci est: si redire non vis, at mihi hoc saltem rescribas, ut misera in Leucadium promunturium me conferam ibique saltus fortunam experiar, utrum me interire necesse sit, an saltu feliciter facto misero amore liberata vivam.

Quae sententia tam apta est epistulae clausula, ut, si desit, equidem carmen truncum suspicer.

Quodsi ad totius epistulae sententiarum ordinem et orationis cursum, quos breviter adumbravi, respicimus, nonnullis exceptis, quae notare non omisimus, non solum omnia bene nexa et colligata videmus, sed etiam totam carminis dispositionem optime comparari posse adparet cum iis, quae de Heroidum genere dixit A. Hedner in: Tibullus, Propertius et Ovidius Elegiacae apud Romanos poëseos triumviri. Spec. Acad. Lundae 1841 p. 8.

§. 2.

Quod ad *dictionem et orationem* epistulae attinet, incredibilem in iudicando hac de re videmus doctorum virorum dissensionem. Nam cum alii pulcherrimam, elegantissimam, Ovidii ingenio dignissimam eam praedicent, alii ineptam, rusticam, infelicis cuiusdam imitatoris fetum vocant. Ita Werferus [1]) et Loersius [2]), qui primi comparatione inter Sapphus epistulam et cetera Ovidii germana opera instituta verba et sententias epistulae observaverunt, permulta in ea invenerunt, quae Ovidii consuetudinem et colorem prae se ferrent, quapropter etiam epistulam hanc Ovidio auctori esse adiudicandam censuerunt.

---

1) Lectionum in Heroidas specimen. Act. philolog. Monac I. p. 495.
2) Edit. Heroidum praef. p. XLIV. et in commentario ad Sapph. ep.

Teuffel vero l. l. arbitratur, carminis nostri sermonem esse rusticum, quae Ovidii sint propria, ea esse ridicule distorta et depravata, quare Ovidio adscribi posse epistulam negat. Vehementissime tamen dictio epistulae Birtio displicet, qui asseverat, „sermonem putide inflatum vocumque ac sententiarum iteratarum artificium frequentatum usque ad taedium clamare epistulam esse subditiciam'. Cum neque ego dissentiam, cogitandi loquendique rationem maximi momenti esse ad quaestionem disceptandam, utrum liber auctori cuidam assignari possit necne et cum illi viri multa intacta praetermiserint neque omni a parte examinaverint, rem denuo tractabo, augebo et recensebo. Quoniam vero perlecta epistula mihi persuasi, non omnia in ea esse plana et expedita, sed haud pauca accuratiorem explicationem requirere, propterea perspicuitatis causa seorsum eos locos, qui puri sunt et emendati, afferam et nihil aliud quam similibus locis Ovidianis illustrabo, seorsum in eos, qui ullam offensam aut difficiliores explicatus habent, diligentius inquiram.

Sapphus epistulae similes loci non solum cum Heroidibus, sed etiam cum ceteris Ovidii carminibus collati:

Vs. 1—4 cf. Pont. II. 10. 1 sqq.:

Ecquid ab impressae cognoscis imagine cerae
haec tibi Nasonem scribere verba, Macer?
auctorisque sui si non est anulus index,
cognitane est nostra littera facta manu?
an tibi notitiam mora temporis eripit horum,
nec repetunt oculi signa vetusta tui.

Pont. 1. 7. 3:

indicat auctorem locus? an nisi nomine lecto,
haec me Nasonem scribere verba latet?

studiosae dextrae = tibi faventis, studentis, ut Tr. 4. 10. 91, Tr. 1. 2. 71, Tr. V. 1. 1. Alibi etiam = litteris eruditae, doctae, ut Hor. ep. 1. 3. 6: studiosa cohors, Quint. 2. 10. 15 ne quid studiosi requirant, Plin. ep. 6. 26. 1 ipse est studiosus, litteratus etiam disertus.

auctoris (Sapphus) gen. femin. F. VI. 709, V. 192, M. VIII. 108. 493, Art. 1. 72.

v. 5. *Forsitan et..* formula ab Ovidio adamata saepius cum coniunctivo: Her. 1. 77, IV. 53, VII. 133, 19. 123.., rarius

cum indicat. consociatur Her. II. 103, X. 83, XI. 175, 19. 57, 20. 136, Tr. 3. 3. 26, Am. 1. 6. 45..

alterna carmina=elegi, nam Am. 1. 28: sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat. Saepe ita F. II. 121, Tr. II. 220, III. 1. 11, III. 1. 56, III. 7. 10.

v. 8: *non facit ad lacrimas*... cf. Her. 14. 56: non faciunt molles ad fera tela manus, Am. III. 11. 42: non facit ad mores tam bona forma malos, Her. VI. 128, Tr. 1. 10. 44.

v. 9—10: Amoris ardor similiter comparatur cum messium atque agrorum incendio Met. 1. 492, VI. 455, Verg. Aen. II. 304.

v. 13: Carmina melica nervis lyrae dispositis iungi solitas esse testantur Am. III. 7. 64, Met. V. 340, X. 40, XI. 5, I. 518.

v. 14: *carmina*... *proveniunt*=nascuntur, oriuntur, a re rustica ad ingenium et eius opera transfertur Tr. 1. 1. 39, Am. 1. 3. 20.

v. 17: *vilis* in re amatoria cf. Her. III. 41, XII. 187, Tr. V. 6. 22.

v. 19 cf. Her. IX. 137: sed me sine crimine amasti, Am. III. 4. 39.

v. 21=Am. II. 3. 13: est etiam facies, sunt apti lusibus anni; Rem. 23: et puer es, nec te quicquam nisi ludere oportet

v. 23—24. Pulchra haec et vivide expressa sententia mutuata videtur a Prop. IV. 2. 31 sq.:

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
furabor Phoebi, si modo plectra dabis.

Her. XIII. 156: adde sonum cerae: Protesilaus erit. Cic. Tusc. I. 39, IV. 24, Cat. 1. 4, Sull. 2. Quare quae Teuffel l. l. huic loco obiecit, probari nequeunt.

v. 26: *illa vel illa*. Geminatur interdum *ille* pro: hic vel ille: Amor. 1. 8. 84, I. 9. 8, Her. III. 28, F. V. 188, Tr. 1. 10. 50.

v. 27: Pegasides blandissima carmina *dictant*. Verbum magistrorum proprium Ovidio satis est usitatum: Am. II. 1. 38, Pont. III. 3. 29; Prop. 4. 1. 133: tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo; Mart. 8. 72: Lesbia dictavit docte Catulle tibi; Hor. Sat. 1. 4. 10, Hor. Ep. II. 1. 110.

v. 32 cf. Art. II. 677, Met. II. 694, Her. IX. 78, III. 51, Am. II. 8. 21

v. 34. *Mensura* per eminentiam magnitudinem significat. Met. XV. 378, VIII. 739, IX. 789, XII. 57. Similis sententia Met. 12. 612, Pont. 1. 2. 1.

v. 41: *formosa videbar*. Usitata Ovidio in fine versus verba: Met. 4. 319, 9. 462, Rem. 711, Nux 23, Sab. III. 67.
v. 43 cf. Her. II. 7: tempora si numeres, bene quae numeramus amantes.
v. 44 cf. Art. 1. 667, Am. II. 4. 26, Her. XIII. 120. 18. 113.
v. 48: aptaque verba ioco. Cf. Art. II. 724, F. IV. 868.
v. 49–50. Similes sententiae Art. II. 727, 682, 691, III. 793, Rem. 413: finita voluptas. Lucr. IV. 1258, V. 854.
v. 51 cf. Am. 1. 2. 19: en ego—confiteor—tua sum nova praeda, Copido. Am. 1. 8. 56.
v. 52 cf. Tr. III. 11. 55, Her. VI. 47. IV. 108.
v. 55 cf. Am. II. 9. 43, 1. 8. 65, III. 11. 21,
v. 59 cf. Her. VII. 110, III. 43, 17. 14, Tr. V. 10. 11, P. I. 10. 6, IV. 6. 7, I. 2. 63.
v. 61: *ossa lecta.. bibere lacrimas meas*=luxi et deflevi patrem mortuum Tr. III. 4. 40, Tr. III. 5. 14, F. V. 454, Her. X. 150, XIV. 127, Am. III. 6. 7. *Ante diem*=properata morte M. 1. 148, Art. III. 739; F. IV. 647, Tr. 4. 10. 82, Pont. II. 2. 9, Ib. 48.
v. 64 cf. Am. III. 7. 72: tristia cum magno damna pudore tulit.
v. 67: *bene multa:* Tr. I. 7. 15: bene multa; Cic. fam. 10. 33. 4 inermes bene multos; de or. 2. 88. 361: sermo bene longus; Att. 4. 9. 2: bene mane, Gell. 12. 4: bene saepe.
v. 68 cf. Prop. II. 28. 14: hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
v. 69. Optimus f. liber exhibet: quae me hac ‚sine cura fatiget', reliqui multi: quae me sine fine fatigent. Praefero hanc alteram lectionem et propter sequens *curas* et propterea, quod *sine fine* in enumeratione malorum commodiorem praebet sensum et Ovidius haec verba in V. pede hexametri admodum frequentat.
v. 71 cf. Her. VII. 135: accedit fatis matris miserabilis infans.
v. 72 cf. Tr. III. 5. 54: nave mea vento forsan eunte suo. Rem. 14, F. IV. 730.
v. 73 cf. F. II. 772: neglectae collo sic iacuere comae, Her. X. 138, XIII. 31, *sine lege* Art. III. 133. Met. I. 477, Her. IV. 77. Am. III. 9. 11.
v. 74: *premit* Am. III. 13. 25; *articulos* Am. II. 15. 4; Med. Fac. 20; conspicuas gemmis vultis habere manus

v. 75: *veste tegor vili* cf. Met. 8. 859; *in crinibus aurum* Her. 21. 90: ipsa dedit gemmas digitis et crinibus aurum. Pont. III. 3. 15—18, Tibull. 1. 8. 9—10.

v. 76 cf. Med. F. 19: vultis odoratos positu variare capillos, Met. V. 53: et madidos myrrha curvum crinale capillos. Cf. infra p. 26.

v. 77 *placuisse laborem*, cf. Her. 18. 95 placuisse laboro; cf. infra p. 26. extrem.

v. 78 cf. Her. 16. 85 (191): tu cultu divite digna es.

v. 79 cf. Tr. IV. 10. 65: molle Cupidineis nec inexpugnabile telis cor mihi.

v. 80 cf. Am. II. 4. 10: centum sunt causae, cur ego semper amem; Am. I. 3. 2.

v. 81 cf. Tr. V. 3. 25:

scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae
stamina bis genito bis cecinere tibi

Pont. 1. 8. 64: nerunt fatales fortia fila deae. Cf. Met. 13. 72.

v. 83 cf. Art. III. 545:

scilicet ingenium placida mollimur ab arte
et studio mores convenienter eunt

Art. III. 540: et facit ad mores ars quoque nostra suos

v. 85—6 cf. quae supra dixi p. 7.

v. 93 cf. Art. II. 667: utilis, o iuvenes, aut haec aut serior aetas

v. 94 cf. Pont. II. 8. 25: saecli decus nostri, Tr. V. 2. 49: o decus, o patriae per te florentis imago

v. 95 cf. Her. 12. 149: flecte ratem, Theseu, versoque relabere vento
Tibull. 4. 3. 24: et celer in nostros ipse recurre sinus
Prop. 4. 19. 10: in nostros curre... sinus

v. 96 cf. Am. 1. 3. 2:

aut amet aut faciat cur ego semper amem
a, nimium volui, tantum patiatur amari.

v. 97—8 cf. Her. VIII. 109... lacrimis oculi rorantur obortis
Her. III. 3: quascunque adspicies, lacrimae fecere lituras
Tr. 1. 1. 13: neque liturarum pudeat qui viderit illas,
de lacrimis factas sentiet esse meis.
Ita quoque Tr. III. 1. 15, Prop. IV. 3. 4; Cic. d. div. 14. 3: epistulas quas ego lacrimis prope delevi.

v. 100—5 cf. Tr. 1. 3. 57 sqq., Her. 13. 7:

oscula plura viro mandataque plura dedissem.

v. 108 cf. Art. III. 347: vos pia numina vatum... novemque deae
v. 109: ‚nescio quis' et ‚nescio quo modo' frequens apud nostrum: Her. V. 28, VII. 124; 13. 93; 18. 184; 19. 102; 21. 126, 233; Am. II. 5. 62, III. 11. 11; Met. 1. 590, 7. 822; Tr. 1. 6. 13; 5. 3. 34; 5. 11. 1.
v. 110—114 cf. quae dixi infra p. 28—29.
v. 112 cf. Her. 12. 142: sed tamen in toto pectore frigus erat, Art. 1. 361: pectora dum gaudent nec sunt adstricta dolore F. 1. 98: et gelidum subito frigore pectus erat. Met. 1. 120, F. II. 754, Tr. II. 196, III. 4. 48, Pont. 3. 3. 26.
v. 113 cf. Her. XI. 91... tunc demum pectora plangi contigit; Am. III. 6. 58, Her. V. 71, 79; X. 145; exululare Met. IV. 521, VI. 597.. Sil 12. 599.
v. 115—16 cf. Tr. I. 3. 97:

nec gemuisse minus quam si nataeve meumve
vidisset structos corpus habere rogos

Am. III. 9. 6: ardet in exstructo corpus inane rogo; F. 3. 546
v. 117 cf. Met. VI. 280: pascere crudelis nostro Latona dolore
v. 118 cf. Tr. V. 7. 14: per medias in equis itque reditque vias, Art. I. 93, Met. 2. 409. F. 1. 126, Tibull. II. 7. 28, Val. Flacc. 1. 725.
v. 119: ‚pudendus' part. adamat noster Her. V. 44, 98; F. III. 500, I. 392, IV. 598.
v. 121 cf. quae dixi infra p. 30.
v. 122 cf. F. I. 408, Met. 11. 339, 13. 688, Art. 3. 667; Tibull. 1. 6. 18: neve cubet laxo pectus aperta sinu.
v. 124 cf. Her. 16. 318: candidior medio nox erit illa die; F. 4. 662, Art. II. 328: somnia laeta; candidus = pulcher et laetus Tr. III. 4. 34: dignus es et fato candidiore frui. Met. 9. 474.
v. 125 cf. quae dixi infra p. 30.
v. 126 cf. Her. 19. 65:

me miseram, brevis est haec et non vera voluptas
nam tu cum somno semper abire soles.

Met. IX. 485, Her. 13. 105.
v. 127—8 cf. Her. 13. 106, Am. II. 18. 8, II. 16. 29, Her. 16. 219, Met. II. 240, VIII. 28, Am. 1. 13. 5, Tibull, I. 2. 73.
v. 129 cf. quae infra dixi p. 30. fin.; de v. 132 ago p. 9.

v. 133 cf. F. V. 532: pudor est ulteriora loqui: Art. III. 769: ulteriora pudet docuisse.

v. 137—8. Saepe res inanimatae, praesertim loca, antra conscia dicuntur eorum, quae in iis fiunt. Rem. 725: Et loca muta nocent. fugito loca conscia vestri concubitus: causas illa doloris habent. Her. 18. 105: et turris conscia novit, Met. VI. 588: nox conscia sacris.

v. 140 cf. Her. IV. 47: nunc feror ut Bacchi furiis Eleleides actae, Art. 1. 312: fertur ut Aonio concita Baccha deo

v. 141 cf. Am. III. 1. 3: fons sacer in medio speluncaque pumice pendens, F. II. 315, Met. III. 159; 13. 809, Verg. Georg. 4. 374.

v. 143—4 cf. Her. V. 13:

saepe greges inter requievimus arbore tecti
mixtaque cum foliis praebuit herba torum
saepe super stramen foenoque iacentibus alto
defensa est humili cana pruina casa.

Art. II. 475: silva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

v. 145 cf. Am. III. 7. 11: et mihi blanditias dixit dominumque vocavit, Art. I. 314: et dixit: domino cur placet ista meo?

v. 146 cf. quae dixi infra p. 31. fin.

v. 147 cf. Met. X. 556, Art. III. 721, Am. III. 10. 10.

v. 148 cf. Rem. 175: aspice curvatos pomorum pondere ramos, Met. III. 94.

v. 149 cf. Her. X. 53:

et tua, qua possum, pro te vestigia tango,
strataque quae membris intepuere tuis
incumbo, lacrimisque toro manante profusis.

v. 150 cf. Her. XI. 54: et cogor lacrimas combibere ipsa meas Met. IX. 656, Art. II. 326.

v. 151 cf. Met. XI. 46: positis te frondibus arbor tonsa comam luxit.

v. 152. Saepe Ovidius querendi verbum de avium cantu usurpat. Her. X. 8: tectae fronde queruntur aves, XVIII. 22: dulce queri, Am. III. 1. 4: et latere ex omni dulce queruntur aves. F. IV. 166. Met. XI. 52 de lyra, Hor. Ep. 2. 26.

v. 153 cf. Art. II. 408: ulta virum, Met. VII. 397, Am. II. 14. 32, Rem. 60.

v. 154 cf. Am. III. 12. 32: concinit Odrysium Cecropis ales Ityn

v. 155 cf. Met. III. 477: nec me amantem desere, Her. 19. 157: desertor amoris; Met. XI. 750: servatos amores.
v. 156 cf. quae infra dixi p. 33, de v. 157 cf. p. 34, de v. 159 p. 34.
v. 160: *una nemus*, sic Met. VIII. 743: stabat quercus, una nemus. Plura Drak. ad Sil. V. 482. Art. III. 688: fons sacer et viridi caespite mollis humus; Am III. 10. 10.
v. 162: *Naias una*. Cf. Met. 1. 690: Naias una fuit, M. 8. 777: unam.. agrestem compellat Oreada dictis. F. V. 664; Terent. Andr. 1. 1. 39, Caes. B. G. V. 45; Stat. Silv. 2. 2. 105.
v. 163 cf. M. 7. 803: aequales urebant pectora flammae, Her. 19. 5: urimur igne pari. Alibi *ex aequo* Her. 16. 87, Her. 12. 123, Am. 1. 10. 33, Art. II. 682, III. 794, Met. 4. 61.
v. 166 cf. Met. XIII. 714: Ambraciam.. Actiaco quae nunc ab Apolline nota est.
v. 169: *nec mora* adamat poëta. Cf. Her. 18. 57, Am. 1. 6. 13, 11. 19, III. 7. 81, Art. 1. 146, III. 709; Met. 1. 717, III. 46, IV. 120, 340, 480, VI. 636, VII. 320, VIII. 415, 830, IX. 166, X. 159, XI. 324, XIII. 225, 954; F. II. 471, 709, 831, IV. 456, 843, V. 28, 254, 519, VI. 677, Tr. 1. 3. 68, 3. 76, III. 11, 53, Pont. III. 2. 93, IV. 7. 31.
v. 170 cf. Rem. 188: igne levatur hiems, Met. V. 21, 500.
v. 173 cf. Met. XV. 663: extemplo cum voce deus, cum voce deoque somnus abit...
v. 176 cf. Art. 1. 372: insano iuret amore mori. Art. II. 563: Mars pater insano Veneris turbatus amore
v. 177: *quidquid erit* = quodcumque eveniet, ut. Her. 18. 51: quidquid erit, patiar.., Met. XI. 442, Verg. Aen. V. 710.
v. 180 cf. Her. 16. 208, 18. 142, 20. 38, 9. 51, Tr. III. 10. 42: non foret angustae mors tua crimen aquae. Prop. II. 28. 2: tam formosa tuum mortua crimen erit.
v. 182 cf. Am. I. 8. 54: nec satis effectus unus et alter habent F. II. 394: ex illis unus et alter ait; Am. II. 5. 22, Rem. 364, Tr. I. 3. 16; Hor. Ep. I. 1: quidquid negat unus et alter.
v. 183. Eius modi tabellae votivae persaepe ponuntur = consecrantur: F. III. 268: posita est meritae multa tabella deae, Her. I. 26, 84, II. 60, V. 22, XX. 237, Met. III. 406, VIII. 723, Prop. II. 14. 27: has pono ante tuas tibi, diva, Propertius aedes, Tibull. I. 3. 28: picta docet templis multa tabellis tuis.

v. 189. cf. Her. III. 133, Met. XIII. 801, XIV. 711, ubi durum hominis pectus cum scopulis marique comparatur.

v. 190 cf. Her. VII. 76: te satis est titulum mortis habere meae Her. 21. 176, Tr. I. 11. 30, F. VI. 190, Met. 4. 644, Am. II. 12. 12.

v. 191 cf. Val. Flacc. III. 309: fas iungere tecum pectora, Her. 9. 134, Met. 10. 465, VI. 407, F. II. 592, Her. III. 107, Art. II. 679, Her. II. 58, 94; 18. 101, 138; 20. 141, Am. 1. 4. 43, II. 5. 22, III. 9. 53, 14. 22, Rem. 364. 407, Tr. 1. 3. 16, Tibull. 1. 8. 26: femori conseruisse femur.

v. 195 cf. Tr. I. 2. 32: ambiguis ars stupet ipsa malis.

v. 196 cf. Her. 13. 86: substitit auspicii lingua timore mali, Tr. I. 1. 48: ingenium tantis excidet omne malis, Tr. III. 14. 33, I. 11. 10, F. I. 538.

v. 197 cf. Rem 387: mea materiae respondet musa iocosa, Met. 12. 618, Pont. 4. 2. 15, F. 4. 642.

v. 198 cf. Art. III. 702: subito muta dolore fuit, Met. 13. 538: obmutuit illa dolore.

v. 199 vide quae infra doceo p. 35.

v. 200 cf. Am. II. 18. 26:.. Aeoliae Lesbis amica lyrae

v. 206. Poëticam vim amata persona excitare solet. Prop. II. 1. 4: ingenium nobis ipsa puella facit; Am. 2. 17. 34: ingenio causas tu dabis una meo; Tr. II. 532, Pont. III. 3. 33.

v. 207 cf. Met. II. 767: non agreste tamen.. pectus habens.

v. 208: *pectus.. riget* cf. Am. I. 4. 36: rigidum pectus, Tr. I. 8. 42, Her. III. 96. *verba caduca* cf. F. I. 181: caducae preces, Her. III. 98, XVI. 169, Met. IX. 596, VI. 396, Am. II. 16. 45.

v. 209 cf. Her. VII. 8: atque idem venti vela fidemque ferent M. VIII. 135, Am. II. 16. 45, I. 8. 106, II. 11. 33, Rem. 286.

v. 211. Ab ipsis navigantibus vota pro reditu nuncupabantur et munera parabantur, quibus portu egressuri puppim, deorum tutelarium sedem ornabant: Her. XVI. 111: addimus antemnas et vela sequentia malos, accipit et pictos puppis adunca deos. Am. III. 11. 29, Rem. 811, Am. II. 11. 46: pro reditu victima vota cadet.

v. 212 cf. quae infra dico p. 36.

v. 213—14 ‚*solve ratem*' repetitum in pentametro, ut ‚ante veni' in Am. I. 4. 13—14, III. 6. 61—2; Her. V. 117—18, X. 11—12, Rem. 385—6.

v. 214 cf. Her. VII. 171: cum dabit aura viam, praebebis carbasa ventis, Her. 19. 52, Pont. IV. 9. 73, Met. VIII. 3.

v. 216: *ipse dabit tenera vela.* Ita Her. VI. 57, XIII. 128, XVI. 120, 17. 163, Met. III. 639, 8. 175, Tr. II. 548. Oppositum est ‚contrahere vela' Tr. III. 4. 32, Pont. I. 8. 72: deducere vela', Met. III. 663: legere vela, Verg. Georg. I. 376: omnis navita ponto humida vela legit, Val. Flacc. I. 312: prora funem legit argus ab alta, Lucr. III. 44: funem legere, Prop. IV. 4. 40: stamen legere. Sensus loci est: ut venti ratio postulabit, aut dabit vela ventis aut leget; quare ‚regetque' varians non est accipienda.

v. 219—20. De hoc disticho uberius ago p. 11 sq.

Ex iis quos attuli locis affatim apparet, orationem epistulae re vera adeo Ovidianam consuetudinem prae se ferre, ut Werferus l. l. non temere iudicaverit, ‚verborum et sententiarum rationem et colorem, quae prorsus sunt Ovidiani moris et ingenii, obstare, quominus eam Ovidio abiudicemus' et Loersius comprobato illo Werferi iudicio l. l. p. XLV addiderit: possumus multa adiungere de similitudine huius epistulae cum reliquis in dispositione rerum, in affectibus, in studio illo doctrinae, aliis, verum ne longi simus, hanc rem non ulterius persequemur'. At si quis alias epistulae res ulterius persequi omittat et sola orationis similitudine innisus quaestionem de probitate eius disceptare velit, admodum ancipiti ratione uti mihi quidem videatur, nam etiamsi omnes epistulae sententias in ceteris Ovidii carminibus occurrere eamque totam reliquis Ovidii epistulis simillimam esse ostendat, tamen eam posse Ovidii esse comprobet quidem, sed eam re vera germanum Nasonis opus esse nondum evincat. Nam quis negabit, imitatorem, ne cognosceretur, omnia bene circumspicere Ovidianoque sermonis usu et epistularum conscribendarum arte sese continere potuisse? Nonne illi centones documento nobis sunt, quantopere, si solam orationis similitudinem respiciamus, fallamur? Quam ob rem sequentibus capitulis omnia, quae vitiosa aut ulla ex parte laborare videntur, perpendam et excutiam et quidem ita, ut

primum dicendi genus,
deinde res ex mythologia, historia, ct. petitas,
denique metricas epistulae leges proponam.

§. 3.

Quidquid in *vocabulorum usu et grammatica eorum structura* aut impeditius aut insolentius aut singulari quadam licentia enuntiatum, omnino quidquid in oratione memorabile visum est, breviter exponam, ut appareat, quae dictiones locutionesque Ovidio propriae aut non sine ingenio inventae sint et quae ab Ovidii consuetudine abhorreant:

v. 4: *hoc breve nescires unde movetur opus.*

De hoc enuntiato, in quo Schneidewinus tribus de causis offendit, uberius I. p. 37 egi ibique omnes ea ratione auctoritati epistulae motas difficultates expediisse mihi videor praeter unum indicativum praes. pro coniunct. impf., quem modum adversus exempla similia explicationesque a viris doctis allatas tamen contra consuetudinem positum affirmo. Quod si quando factum est, certe sine causa aliqua factum non est, quae potissimum in eo quaerenda est, quod scriptor ex alacritate vel familiaritate sermonis oblitus est orationis obliquae et recta oratione narrare pergit, quod tamen nostro loco accipi nequit. Ceterum exempla, quae ad defendendum versum plerumque ex Ovidio afferuntur, non sunt talia, ut nobis persuadeant. Nam Her. XVI. 78: hanc esse ut scires unde movetur amor' nihil prodest, cum non solum tota epistula in dubitationem vocetur, verum etiam eius locus v. 39—144 spurius esse videatur. Met. X. 637: quid facit ignorans amat et non sentit amorem' — ‚quid facit' non est aptum ex ‚ignorans'. Her. X. 86: quis scit an haec saevas tigridas insula habet' = fortasse.. habet. Quae cum ita sint, *unde veniret opus*, quam lectionem optimus codex f tuetur, in textum recipere non dubito, praesertim cum ‚venire' de epistula recte usurpetur. Illud ‚movetur opus' a librario in Ovidii scriptis, in quibus ‚movetur opus' saepius legitur, multum volutato, primum margini adscriptum, deinde inter verba poëtae receptum esse mihi videtur.

v. 7: *flendus amor meus est. elegia flebile carmen.*

Cum optimi scriptores de elegiaco carmine nisi ,elegi' aliter non dixerint (Hor. C. 1. 33. 3. Ep. II. 2. 91, Art. p. 77, Ovid. Rem. 395, F. II. 3. 125, Am. II. 1. 21, III. 15. 2; 15. 19; Pont. 3. 4. 85, 4. 5. 1, Tibull. 2. 4. 13, Prop. 4. 1. 135), summo iure Franke in ,elegia' offendit. At quod v. d. inde collegit, epistulam esse spuriam, non recte fecit, nam I. p. 35, ubi ea de re diligentius ago, poëtam scripsisse:

flendus amor meus est elegis: hoc flebile carmen

satis probabiliter exposuisse mihi videor. Neque quod Franke addidit, elegos omnino non esse carmen querulum, sed lugubre, verum est, nam Horat. Art. p. 75: *versibus impariter iunctis querimonia primum inclusa est;* Hor. C. 1. 33. 2: *neu miserabilis decantes elegos.*

v. 8. *barbitos.*

Vocabulum hoc alienum est ab Ovidio poëtisque aequalibus praeter Horatii carmina lyrica, in quibus ter legitur: Carm. I. 1. 34, I. 32. 4, III. 26. 4. Multo post recurrit apud Claudian. praef. in nupt. Hon. et Mar. 10: *Terpsichore facilem lascivo pollice movit barbiton* et apud Auson. epigram. 44. Fortasse Ovidius consulto Sapphonem ita loquentem facit, quae vocabulo hoc carmina lyrica, quae antea componebat, ab elegis, quos nunc scribit, distinguat.

v. 11. *arva Phaon celebrat diversa..*

,Celebrare' non solum valet ,laude decorare', ut Am. I. 9. 59: carminibus meritas celebrare puellas, Pont. IV. 8. 87: laudes celebrare, Art. a. 2. 499: fama per orbem celebrari, Tr. II. 73, III. 14. 3, IV. X. 12, Met. VII. 50, F. I. 607, II. 639..., sed etiam simpliciter ,frequentare', ut infra v. 57: *quae montes celebras Erycina Sicanos,* Met. 1. 72: atria valvis celebrantur apertis, IV. 444: parsque forum celebrant, IV. 414: tecta, non silvas celebrant; Suet. Cal. 45: amoenos secessus celebrare. Locus *celeber* opponitur deserto et ,celebratio' est confluxus hominum in unum locum.

v. 19: *atque aliae centum, quas non sine crimine amavi.*

Welcker et alii adnotant: Nihil sane absurdius cogitari potest, quam si Sappho Phaonem ad amorem sui revocatura ei narret, se cum aliis inhonestam et lascivam vitam egisse, cum hoc Phaonis animum offendat et epistulae proposito, ut desultor ad reditum adducatur, prorsus repugnet'. At nihil est vituperandum neque epistulae probitas propter hoc enuntiatum impugnanda,

cum ,crimen' non solum obiective: delictum, scelus', sed saepe subiective significet: criminationem, calumniam. Sappho igitur nihil aliud nisi hoc dicit: se non sine reprehensione amicas dilexisse, sed immerito sane ,infamem' esse factam, prorsus idem, quod v. 201: *Lesbides, infamen quae me fecistis amatae*, aut. v. 20: *improbe, multarum quod fuit, unus habes*. Suidas quoque in v. *Σαπφώ* prodit: *πρὸς ἃς καὶ διαβολὴν ἔσχε αἰσχρᾶς φιλίας*, quibus verbis se dissentire ab illa iniusta poëtriae insimulatione auctor ingenue profitetur. Cf. I. p. 53.

v. 45—49. Locum in primis propter vitiosum *fit* et ,*confusam* voluptatem' spurium esse et secludendum disputavi supra p. 5.

v. 53: *o vos erronem tellure remittite nostrum..*

Ad v. adnotat Birtius haec: ne vocis *erronem* audaciam premam, *tellure* tam prave superfluit, ut si hic esset Ovidius, corruptum locum esse dicerem. Imitator mutuatus est '*tellure remittite*' ex Met. I. 603:... non fluminis illas

esse nec umenti sensit tellure remitti".

Re vera, teste Ulp. Dig. 21. 1. 17, *erro* non est fugitivus, sed is, qui frequenter sine causa vagatur et temporibus in res nugatorias consumptis serius ad dominum redit'. Quam ob rem Sappho Phaonem, qui eam re vera fugit, rectius ,fugitivum' vocasset. At notionum illam iuridicam differentiam non tam stricte observatam esse, docet Horatius, qui utrumque vocabulum confundit Serm. II. 7. 113: teque ipsum vitas fugitivus et erro. Deinde in rebus amatoriis ,erro' vocabulum est proprium de eo, qui puellam deseruit: Tibul. II. 6. 6: atque iterum erronem sub tua signa voca Amor; Art. III. 436: errat et in nulla sede moratur amor, II. 339: dum novus errat amor, Her. 18. 96: similis vento ne tuus erret amor. ,*Tellure*' sic nude positum re vera molestum est, at si ,*nostrum*', quod ad ,erronem' superflue, immo vitiose accedit, aliquot invitantibus codicibus in ,*vestra*' mutabimus, *tellus* sc. Sicula opposita erit Lesbo, Sapphus patriae. *Tellus* = terra, regio Met. 1. 515: Delphica tellus, Pont. 1. 4. 33: telluris Achivae, I. 3. 82: exulibus tellus ultima Tibur erat. F. 1. 470: a magno tellus Arcade nomen habet'. Quae cum ita sint, locus emendatus videtur.

v. 63: *arsit inops frater meretricis captus amore*'

propter proximum v. 65: *factus inops agili peragit freta caerula remo*' tolerari nequit, nam si postea demum, quam damna tu-

lisset, inops factus est Charaxus, non potuit tunc, cum amare incepisset, inops esse. Quod quidam dicunt, vocabulum hoc utroque loco diversam habere notionem, propterea mihi displicet, quoniam nihil est, quod variam significationem indicet et vocabulum tam prope se positum et ad eundem hominem pertinens nisi eandem vim nullam aliam admittat; ceterum unzurechnungsfähig, quo vocabulo nonnulli prius *inops* germanice interpretari volunt, nisi per ‚inops mentis', aliter non exprimitur, ut infra v. 139, Art. 1. 465, III. 684, Rem. 127, Met. II. 200, VI. 37, F. 4. 457 docent, sine ‚mentis' additamento semper valet: arm, mittellos. At nihil inde de fide epistulae colligi potest, cum *inops* v. 63 procul dubio oculorum errore a librario ex v. 65 translatum esse veri simile sit. Locus corruptus emendatione in integrum restituendus est. Plerique mutatione corruptelae mederi student: Bentley coniecit audacter: *carpsit opes frater*, Carolus Schenkel: *iners*. Fortasse praeferendae sunt in enarratione miseriarum coniunctiones: *post*, *mox*: (primum) pater mihi properata morte est abreptus, post (mox) frater amore captus dedecore me affecit, ultima doloris causa Phaon est. *Primum—post* Hor. Art. p. 75, Cic. de fin. 5. 23; *primum—mox* Hor. Ep. II. 2. 93—95. Ovid. Met. II. 336, I. 581.

v. 76. Equidem f. cod. auctore scribo:

non Arabum noster dona capillus habet

id quod ab omni vitio vacuum est. Sed neque in illa altera lectione vulgata, quam Loersius et nuper Merkelius receperunt:

non Arabum (Arabo) noster rore capillus olet

haerendum est, cum *olendi* verba praeter accusat. cum ablat. quoque coniuncta legantur Met. V. 405: olentia sulfure stagna, Prop. 4. 7. 32: cur nardo flammae non oluere meae; Val. Flacc. VIII: olentes sulfure crines. Ita quoque *spirandi*, *fragrandi* verba cum utroque casu nectuntur. Neque in: *Arabo... rore*, ut Loersius edidit, haesito, cum haec adiectivi forma pro *Arabs* saepe occurrat: Plaut. Phoen. 5. 4. 6: odor Arabus; Plin. 36. 21. 153: lapis Arabus; Verg. Aen. 7. 604: sive Getis inferre manu lacrimabile bellum Hyrcanisve Arabisve parant; Val. Flacc. VI. 709. Consimiliter *Erycus* pro *Eryx* Tac. Ann. 4. 43.

v. 77. *cui placuisse laborem* et v. 172: *nec saxo desiluisse time*. Hunc. infinit. perf. usum pro inf praes. admodum Ovidius in deliciis habet: Her. 18. 95. nando dominae placuisse laboro.

Saepius vero *laborandi* verbo infinitivum praes. adiungit: Met. 13. 285: quae nunc quoque ferre labores; 13. 809: et me retinere labores; Am. II. 2. 11: quid enim servare laboret, Art. 1. 35: principio, quod amare velis, reperire labora. Met. III. 565, X. 413, Pont. I. 3. 89. Explicant Zumpt. Gr. §. 590. Schulz. §. 392. adn 2.

v. 79 *molle meum levibusque cor est violabile telis.*

Violabilis adiectivum alibi apud Ovidium non extat, etsi leguntur: violare Her. 17. 1; 8. 732; violentus Her. III. 61, M. 3. 717; 9. 121, Ib. 29, saepe; violatus Pont. III. 5. 45, M. V. 226, F. 4. 649. violentia Met. 1. 238. violator templi Pont. 2. 2. 27. Werferus collato Met. XII. 166: *quod iuveni corpus nullo penetrabile telo* contra auctoritatem optimi codicis mutat in:

molle meum tenerisque cor est penetrabile telis.

Adiectivo illo usus est primus Verg. Aen. 2. 155: et non violabile vestrum testor numen. Vergilius cum negatione coniunxit pro *inviolabilis*, quod Lucret. 5. 305: *inviolabilia haec ne credas forte vigere* dixit. Bene Vergilium imitatus ext Stat. Theb. 5. 258: turba nullis armis violabilis. Cum Ovidius in V. pede hexametri adiectiva in *ilis* exeuntia adamet, et re vera alia etiam apud eum similia ἅπαξ εἰρημένα occurrant e. c. Pont. IV. 14. 31: vitabilis, Ibis 172: insatiabilis, ex hoc vocabulo colligi nequit epistulam esse suppositam.

v. 85—86. Distichon hoc cerula miniatula notavi p. 7.

v. 96. *non ut ames oro, verum ut amare sinas.*

Ita exhibet optimus liber f. Praeter metricum mendum (insolitam elisionem syllabae in *m* exeuntis (*verum ut*) in altera parte pentametri), de quo infra §. 5. 4. ago, etiam ‚amare' offendit, quem infinitivum passive poni oportebat. Qua tamen ex re nullo modo colligi potest, epistulam esse spuriam, cum versum corruptum esse reliqui codices comprobent, quorum alii perperam sane tuentur: *sed ut amare sinas, sed quod amare sinas*', alii vero recte: *sed te ut amare sinas*', quam lectionem si recipiemus, vitium sublatum habebimus. Viri docti locum coniectura sanare voluerunt. Heinsius proposuit: *me sed amare sinas*; Baehrens: *nos sed amare sinas*, rectius propter sequens *scribimus*. De Vries: *non ut ames oro serus: amere sinas*'. Serus = lentus Her. II. 101. XVII. 107.

v. 104. *admoneat quod te pignus amantis habet.*

Ita antea legebatur et nuper Merkel edidit. Nonnulli viri docti

pignus admonere non posse, sed fidem tueri affirmabant et propterea in *signum* mutabant. Quamquam in universum rem ita se habere, Her. 4. 600; 6. 121; 11. 113, Met. II. 38, III. 134, 183; 8. 93: pignus amoris, Her. 9. 150: pignus coniugii; Met. 8. 48, 12, 365: pignus pacis, F. 2. 633: pignus honoris' docent et nusquam alibi, quantum scio, *pignus* cum *admonendi* verbo coniunctum reperitur, tamen si ad sensum specto, illa verba explicationem habere posse equidem puto, cui in mentem venit Schilleri Klage der Ceres. Stroph. 7:

Ist mir nichts von ihr geblieben,
nicht ein süss *erinnernd Pfand*,
dass die Fernen sich noch lieben,
keine Spur der theuern Hand.

Hodie vero contraversia iam composita est, cum optimo codice accuratius inspecto inter omnes constet, veram lectionem non *pignus*, sed *munus* esse, quod utique praeferendum est.

v. 113. *postquam se dolor invenit nec pectora plangi puduit* Hic versus cod. f. servatus plurimum contulit, ut epistula spuria haberetur. Non immerito. Primum enim incipit versus, cui inest caesura ἐφϑημιμερής bipartita i. e. cum sola trithemimeri, a vocabulo spondaico, quae forma hexametri ab Ovidio fere aliena est. Deinde sermo purus non videtur, cum nemo Romanus dixerit ‚*invenit se*', praeter Petron. 47. 2: *nec medici se inveniunt* et Sen. Ben. 5. 12: *minusque se inveniunt, quo in maiorem materiam inciderunt.* Procul dubio non Ovidiana manus est.

Qua in re ut aliquid statui possit, similes loci in auxilium vocandi et cum nostro comparandi mihi videntur.

Her. X. 43: *iamque oculis ereptus eras tum denique flevi:*
torpuerant molles ante dolore genae.

Genae torpuerant dolore — ergo dolor erat, cum Ariadne torperet, isque procul dubio tantus, ut flere non potuerit; si postea flevit, id nullo alio modo fieri potuit, quam si dolor *minutus est.*

Her. X. 84. *torpuerat gelido lingua retenta metu.*
93. *exierat thalamo. tum demum pectora plangi*
contigit inque meas unguibus ire comas.

Lingua torpuerat metu sc. permagno, postea vero planxit Canace pectora, procul dubio propterea, quod Macareus thalamo exierat et Canaces metus aut *minutus* erat aut plane cesserat.

Similiter Her. IV. 47—52:

nunc *feror*, ut Bacchi furiis Eleleides actae
quaeque sub Idaeo, tympana colle movent
aut quas semideae Dryades Faunique bicornes
numine *contactas attonuere* suo.
namque mihi referunt, *cum se furor ille remisit*,
omnia: me tacitam conscius urit amor.

Conf. etiam Met. XIII. 538, Tr. I. 3. 8—15.

Ita quoque nostro loco Sappho nec flere nec loqui potuit et pectus eius frigore astrictum erat i. e. torpuerat sc. permagno dolore ob Phaonis repentinum et furtivum discessum; dolor igitur, qui aderat, opus non habebat *se invenire*, sed *se minuere*, ex quo *minuit* pristinam et veram esse lectionem adparet, praesertim cum *minuit* in *invenit* facile a librario mutari potuerit. Nec parvi momenti est, *minuit* vel *imminuit* tueri aliquod codices. Habebimus igitur:

postquam se dolor minuit nec pectora plangi..

Versus ita constitutus mendo metrico laborat, quod est in voc. ‚dolor', ita ut ‚dolor' vera lectio non esse videatur.

Et profecto, qui illos locos comparaverit, animadvertit, semper allatam esse causam, cur heroina flere et pectora plangere coeperit i. e. cur torpere desierit: illic quod Theseus oculis Ariadnes ereptus est, hic quod Macareus thalamo exierat. Nostro vero loco neque addita est causa neque omnino addi potest, cur *dolor* se minuat: Phaon enim perfidus deseruit Sapphonem nec revertitur, et poëtria nihil habet, cur minus doleat. Non *dolorem* igitur minui necesse est, sed illum animi affectum tam acrem et vehementem, quo poëtria attonita et fere a sensibus alienata nec fleverit nec locuta sit. Iam talis animi affectus illis a nobis comparatis locis verbo ‚torpere' denotatur, a quo ‚torpor' facile derivatur. Habebimus igitur:

postquam se torpor minuit nec pectora plangi

Quodsi ita scribemus, et sententia apta et metrum emendatum evadet, nam habebimus caesuram ἑφθημιμερῆ tripartitam.

Substantivum *torpor* occurrit: Met. 1. 548: torpor gravis illigat artus, Pont. I 2. 30: similis morti pectora torpor habet. Pont. I. 10. 13.

In passivo *plangi* Micyllus offendit et activum postulavit. Immerito. Nam quamvis frequens sit activum: M. XI. 81: conata femur maerenti plangere dextra, M. 9. 637: planxitque

suos furibunda lacertos, M. III. 505; M. 13. 490: consueta pectora plangit, Am. 3. 6. 58. pectora insana plangis aperta manu,—tamen medium quoque *plangi*=se plangere—*κόπτεσθαι* — bene se habere docent Met. 8. 525: scissaeque capillos planguntur matres Calydonides Eveninae; M. XI. 75: volucris... plangitur ac trepidans astringit.

v. 117 *maeror*.

Substantivum nisi hoc loco nusquam alibi apud Ovidium invenitur. Cum vero et verbo *maerere* (Her. XI. 93, Met. I. 664.) et adiectivo *maestus* (Met. 6. 304, 8. 447; Tr. IV. 4. 76, III. 3. 84; F. IV. 854, Ib. 128.) saepissime utatur Ovidius et illud substantivum inde ab Ennio (Ann. 107) ab omnibus fere et solutae et vinctae orationis scriptoribus Latinis usurpetur, nihil inde effici potest, quod poëta hoc vocabulum non saepius quam semel adhibuit.

v. 121.

Etsi non condemno, tamen nusquam me invenisse confiteor hoc loquendi genus: *non veniunt in idem pudor atque amor*, quae verba tantundem valent, quantum graeca: *αἰδὼς νόσφι πέλει τῆς Κύπριδος*, nisi forte *veniunt* pro composito *conveniunt* accipiendum est, quo facto locus recte se habet; praeterea etiam: *omne videbat vulgus* pro *omnia* displicet mihi; si vero ‚omne' cum ‚vulgo' coniungamus, ad ‚videbat' obiectum desideremus, ita ut haud sciam an distichon non Ovidianum sit, praesertim cum eo facile carere possimus.

v. 125. *quamvis regionibus absis*.

Th. Birtius offendit in his verbis et desumpta ea esse affirmat ex Met. 12. 41: *quamvis regionibus absit*, quippe ubi pluralis ‚*regionibus*' proprium sensum habeat. Equidem Birtio propterea non adstipulor, quod non perspicio, qui eadem verba illo Met. loco recte se habeant, nostro non ita, cum etiam alibi Ovidius similiter dixerit: Met. X. 306: gratulor huic terrae quod abest regionibus illis, Met. VI. 459: pronumque genus regionibus illis, Her. 18. 175: toto procul urbe remotus, Pont. II. 2. 123: quoniam patria toto sumus orbe remoti. Tr. III. 4. 74: quamvis longa regione remotus absim.

v. 129.

Nusquam alibi neque apud Ovidium neque apud ullum alium scriptorem reperi: *oscula committere linguae*. Noster alibi dixit:

dare oscula Her. 19. 168, M. XI. 738.
ferre oscula Art. II. 325; Plaut. Epid. IV. 2. 4. Amph. II. 2. 84.
iungere M. II. 357, Her. II. 44. Am. II. 5. 60.
nexa oscula Am. II. 5. 24.
sumere Art. I. 66. 9.
rapere Her. 13. 120, Met. 4. 358.
congerere Her. 18. 113.
inserere Art. III. 7. 9.
tegit oscula ore M. 13. 491.

Verg. Aen. I. 691. figere, II. 56. libare; Val. Flacc. I. 264: rapere; Plaut. Truc. 1. 2: oggerere. Attamen non audeo condemnare illam locutionem, nam fartasse voluit poëta cum vi efferre eum sensum, qui subest verbo committendi: anvertrauen, ut etiam dixit Am. I. 4, 43: *femur femori committere*. Her. II. 31: *commissa dextra dextrae*, pro *porrigere*; Am. I. 12. 21: *amores suos committere* (tabellis). Neque *apta oscula accipere*, quod v. 130. legitur, apud nostrum alibi reperitur, inveni tamen: *apta oscula* apud Tibullum I. 4. 54: *rapias tum cara licebit oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit'*=bene iuncta.

v. 132. *elequor et vigilant sensibus ora meis.*

Quem locum supra p. 9. diligentius exposui.

v. 140: *in collo crine iacente feror.*

Qui Her. X. 47: *diffusis erravi sola capillis*; nostrae ep. v. 73: *iacent collo sparsi sine lege capilli*; Am. III. 139: *ut iacent fusi per tua terga ...capilli*, comparaverit, is loco nostro fortasse requiret vocabulum, quod *sparsos et sine lege effusos capillos* significet. At nihil deest, nam si capilli in collo iacuerunt, iam dispersi erant, aliter enim in nodum colligebantur: Met. III. 170: sparsos per colla capillos colligit in nodum, Art. III. 139: exiguum summa nodum sibi fronte relinqui, Mart. V. 37. 8: crinem nodo substringere; Tac. Germ. 38: crinem nodo vincire.

v. 146: Birtius, qui epistulam hanc subditiciam esse contendit, dicit: Ovidius risisset, si audisset verba: *dos erat ille (Phaon) loci.* Loersius defendit vocem *dos* eo, quod relegat nos ad Her, 19. 11: unctae *dona* palestrae, P. I. 2. 52: mors mihi *munus* erit' et contendit, positam esse pari libertate, ac *donum* et *munus*. At his locis allatis nihil comprobari potest, quippe qui v. *dos* non habeant.

Dos apud Ovidium legitur: *dos coniugii* Her. V. 92; 6 117; 7. 149; 11. 100; 12. 103, 202, M. 14. 298, Rem. 325.. et persaepe ita. Huc quoque pertinet et recte se habet Her. VI. 118:

dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti
me quoque dotales inter habere potes.

ubi Hypsipyle praeter Lemnum se quoque *dotem* coniugii praedicat.

dos formae Her. 16. 305, Met. 9. 716, Art. I. 596:

si vox est, canta: si mollia brachia, salta
et quacunque potes dote placere, place.

dos oris Met. V. 562.

dos corporis Met. V. 583.

dos ingenii Art. II. 112; Tr. I. 9. 48; Am. I. 10. 60: *carminibus meritas celebrare puellas dos mea;* Am. III. 8. 2; Colum. 3. 2. 17; magnae dotes uvarum, Plin. 9. 35. 56: dotes margaritarum, Phaedr. Prot. 3: duplex libelli dos est. Videmus igitur, dotem declarare virtutem, bonitatem, pulchritudinem, quae personae cuidam aut rei natura innatae sunt et in iis ipsis inhaerent. Etiam ille locus potuit suas *dotes* habere e. c. amoenam positionem, adspectum praeclarum, aëris salubritatem, at num etiam Phaon illius loci dos adpellari possit, non audeo diiudicare. Utut est, nemo usquam personam dotem loci esse dixit. Nec fortasse in ‚flos' mutatio, quae proponitur, probanda est, cum talis figura admodum audax sit et insolens nec simili exemplo comprobetur et illo loco, quo herbae et gramina commemorantur, ubi *terra tenero caespite viret* (v. 160), nulli flores crescere videantur. De coniectura, quam proposui: *dominus ille loci est'* vide I. p. 42. Similem sententiam expressit Ovidius infra v. 94: *o decus atque aevi gloria... tui.*

v. 149. Etsi tanti non facio, tamen praetermittere non possum, quin dicam, mihi displicere verba ita iuncta: *incubui tetigique locum, qua parte fuisti,* pro: quo, ubi fuisti.

v. 153. *sola virum non ulta pie maestissima mater*

Ad h. v. adnotat Th. Birtius: Inexercitati esse v. 153 sentient periti neque horum poëtarum *pie* adverbium'. Verum est apud Ovidium nusquam legi hoc adverbium, etsi *pius* adiectivum (Am. III. 9. 37: *vive pius: moriere pius,* Met. V. 20. piae sorores, XI. 329 pio fratri, XI. 389: pius metus, 13. 301 pia mater, Tr. 4. 5. 30, Her. 7. 107, Met. 7. 482, 8. 477..) persaepe

invenitur. Quod tamen Birtius affirmat, neque aequalium poëtarum esse *pie* adverbium, non recte facit. Nam etsi adverbium hoc prosae orationis proprium esse videtur, tamen iam ante Ovidium apud Terent. Ad. 3. 4. 13: *neque me satis pie esse arbitror*' legitur, et ab aequali Tibullo I. 3. 25: *pie dum sacra colis*' et a posterioribus interdum usurpatur: Sen. Phoen. 380, Sen. Consol. ad Polyp. 34: *piissime*, App. dogm. Plat. p. 25: quod pie vixerit'. Quare nec mutarem in *pia*, nec epistulae fidei suspicionem inferrem propter hunc versum, cuius metrum quoque ab omni vitio vacuum est.

v. 156..... *Sappho desertos cantat amores:*
hactenus in media cetera nocte silent.

Ita exhibet optimus codex f., ita quoque Riese edidit. At *in media nocte* nullo modo rectum esse potest, cum iam inde a v. 135 dies sit: *at cum se Titan ostendit et omnia secum.* Propterea mutanda est *in* praepositio, qua apud *media nocte* facile carere possumus, in *ut* et edendum:

Sappho desertos cantat amores:
hactenus ut media cetera nocte silent.

Loco ita constituto omnes fere interpretatores, ut Domitius Calderinus, Ruhnkenius, Freund in lexico in v. *hactenus* B. docent, *hactenus* esse *eatenus*, quod sequantur *quatenus*, *quoad*, *quod*, *si*, *ne*, *ut*, et comparant nostrum locum cum Cic. div. I. 8. 13: qui hactenus egit, ut earum rerum rationem explicaret; Tac. Ann. 16. 15: hactenus manu servi usus, ut extolleret; Hor. Sat. I. 2. 123: ...sit munda hactenus, ut neque longa nec magis alba velit... videri. Domitius commentatur: cantat usque ad mediam noctem, *donec* omnia silent! Quam perverse noster locus cum illis confusus sit, vel inde apparet, quod in illis exemplis ‚ut' coniunctio sententiam finalem incohat et modum coniunctivum requirit, nostra vero sententia nec finalis est nec modum coniunctivum habet. Nostro loco sententiae adversativae sunt et ‚ut' particula comparativa: Sappho cantat desertos amores: cetera ut media nocte silent. Restat, ut vocabulo *hactenus* locum assignemus. Nostris diebus ante ‚hactenus' semicolon poni placet, ita ut ‚hactenus' verbis ‚media nocte' explicetur: Sappho cantat desertos amores: cetera hactenus (i. e. hac diei parte) ut media nocte silent. At frustra exemplum quaesivi, in quo ‚hactenus' ita positum esset, semper enim post ‚hactenus' interpungitur, ita ut hoc vocabulum in principali collocetur

sententia, quam ad certum tempus, locum, gradum perduci aut plane absolvi indicat. Am. II. 11. 16:

hactenus est tutum: cetera caeca via est

Met. 13. 956: *hactenus haec memini: nec mens mea cetera sensit.*

Met. 13. 700: *hactenus antiquo signis fulgentibus aere*
summus inaurato crater erat asper acantho.

Met. 5. 250: *hactenus aurigenae comitem Tritonia fratri*
se dedit; inde cava circumdata nube Seriphon deserit...

Ita quoque M. 2. 610, 5. 642, 5. 332, 12. 82, 14. 512, Ep. VI. 63, 17. 265, Art. I. 263, Am. III. 1. 31; 6. 79; F. V. 661.

Quare nostro loco, ut id antea vulgo fieri solebat, distinguendum est ita:

Sappho desertos cantat amores
hactenus: ut media cetera nocte silent.

i. e. cantat hac diei parte tenus, ad hanc diei partem, qua cetera animantia ut media nocte silent.

v. 157: *est nitidus vitreoque magis perlucidus amne | fons sacer.* Ita exhibet f. codex. Quoniam vero fere omnes fontes liquidiores sunt et clariores quam amnes, poëta fontis illius splendorem declaraturus hac comparatione uti non potuit, quare utique scribendum est: *est nitidus vitroque magis perlucidus omni.* Cf. Hor. Carm. III. 13. 1: *o fons Bandusiae, splendidior vitro,* Met. 13. 79: Galatea... splendidior vitro, Prop. 4. 8. 37.

v. 159: *aquatica lotos.* Adiectivum hoc primus Ovidius formavit, postea Plinius persaepe adhibuit. Met. II. 853, IX. 341, X. 96.

v. 168: *illaesus.* Vox novata ab Ovidio reperitur Met. 12. 484: *illaesos miranti praebuit artus,* F. VI. 499: *excipit illaesos Panope.* Saepe Seneca.

v. 174. Praeter Epicedii scriptorem ad Liviam v. 116: *effusae gravidis uberibusque genis*', neque Ovidius neque ullus alius scriptor dixit: *gravidae... genae.* At nihil fortasse inde effici potest, cum multiplex sit apud Nasonem huius adiectivi usus Met. I. 110: aristae gravidae, VII. 281: olivae gravidae, VIII. 293: foetus gravidi, Tr. I. 2. 107: nubes gravidae; M. 10. 531: gravidamve Amathunta metallis; Met. III. 260; F. 4. 633. Verg. Aen. VII. 507: stipes nodis gravidae, 4 229: Italia imperiis, 10. 87: urbs bellis, Horat. carm. I. 22. 3: pharetra sagittis, Cic. div. I. 12. 20: ubera gravida, Sil. 6. 155: alvus venenis, 13. 394: annus arcanis, 13. 542: populus noxa, II. 120: mellis

apes gravidae, Lucan. 5. 735: pectus curis, Val. Flacc. 5. 22: parens sorte.

v. 181: *chelys* pro lyra nusquam alibi neque Ovidius nec ullus alius poëta Romanus dixit praeter Senecam Herc. Oet. 1033, Troad. 321, Statium Silv. I. 5. 1, II. 2. 120, 4. 3. 119, IV. 4. 33 et saepe, Sil. Ital. XI. 410, 454, Panegir. ad Calpur. Pisonem v. 154. 242. Quod vocabulum etsi alienum esse videtur a poëtis aureae aetatis, tamen cum Graecos χέλυν pro λύρα persaepe posuisse et ipsam Sapphonem (fr. 45. Bergk) ita dixisse constet, probitatem epistulae ea de causa non impugnem, nam veri dissimile non est, Ovidium, ubi de instrumentis musicis graecae poëtriae ageret, latinum vocabulum, testudo' adhibere noluisse, sed graeca nomina *barbiton*, *chelyn* retinuisse.

v. 199. *Lesbides aequoreae.* Adiectivum *aequoreus* de eo usurpatur, quod in mari vivit: Prop. 3. 6. 67: Nereides, Verg. Georg. III. 243: aequoreum genus=pisces; Ovid. Met. X. 78: aequoreis Piscibus, VIII. 603: aequoreus rex=Neptunus, X. 617: aequorea origo (Neptuni), Met. 14. 557: Naides aequoreae, Pont. IV. 10. 14: aequorea dea (Calypso); aut de aqua marina: Ovid. Art. 1. 528: aequoreae.. aquae, F. II. 68, Martial. 10. 51 et saepe. Quam ob rem inepte appositum affirmatur puellis Lesbiacis, quae non in mari, sed in insula undique mari cincta vivebant ideoque *insulanae* adpellandae erant. At cum hanc quoque notionem *aequoreus* adiectivum habere appareat ex Met. XV. 752: *aequoreos plus est domuisse Brittannos*' equidem locum expeditum puto neque coniecturas admitto: *aequales* quod dissimilius est nostro vocabulo, quam ut facile commutari potuerit, aut *aequaevae*, quod grandes aevo et senes declarat: Verg. Aen. II. 561: ut regem aequaevum ...vidi vitam exhalantem.

v. 200. Lesbiades ter proxime repetitur: qua anaphora scriptor Sapphus animum dolore affectum et maestum designat. Quae figura quantopere Ovidio familiaris fuerit, ostendunt Met. VII. 228, 10. 617, Her. II. 49, VI. 126.. Quod vero

v. 207—8: *an riget, et zephyri verba caduca ferunt?*
qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent',

idem verbum ,ferre' ter positum est, res eadem exigit et poëta

orationem variare et aliorum verborum quasi insignibus distinguere neglegit.

v. 212: *quid laceras pectora nostra mora.* Ita vulgo editur. Ad dictionem *lacerare mora* adnotavit Birtius: Risisset haud dubie Ovidius, si legisset haec verba'. Mihi quidem locutio ridicula non videtur, cum *mora* tamquam aegritudine quadam animum lacerari posse persuasum habeam: Cic. Tusc. 3. 13. 27: aegritudo lacerat animum conficitque, Att. 3. 8. 2: meus me maeror lacerat, Acad. pr. 2. 8. 23: intolerabili dolore lacerari. Ita quoque Ovid. Her. III. 138: nec miseram lenta... ure mora, Tr. 4. 6. 26 aerumna est aucta mora, Met. III. 693, Tr. 1. 3. 8. Si nihilo tamen secius *lacerare* Birtio displiceat, iam ei dicam, optimo codice f. non *laceras*, sed *crucias* exhiberi itaque scribendum esse.

v. 219—20. De hoc disticho ultimo supra p. 11. uberius egi.

Quae hoc capitulo protulimus, ex iis intellegi posse spero, nonnulla eorum, quae viri docti hic illic vituperaverint et condemnaverint, plane esse expedita, alia quamvis difficiliorem habeant explicationem, tamen defendi posse, alia, ut *chelyn*, *barbiton*, Sapphus poëtriae melicae ratione sustineri, reliqua procul dubio miserae codicum epistulae conditioni assignanda et quaqua coniectura potius sananda esse, quam totam epistulam Ovidio abiudicandam.

§. 4.

Nunc apparatum mythologicum et fabulas, nomina et epithéta, ceterasque res et facta, quae in epistula commemorantur, perlustrabo et fontes, ex quibus hauriri potuerant, similesque locos afferam, non solum ut appareat, num hac quoque in re discrimen aliquod intercedat inter nostram epistulam et reliqua Ovidii carmina, sed etiam, id quod antiquius puto, ut inde intellegatur, quantum eorum virorum opinio sit explorata, qui affirmant, epistulam nostram et Ovidianorum carminum et totius antiquitatis profundiorem atque exquisitiorem prodere doctrinam, quam quae imitatori possit imputari.

v. 8: *indomitis Euris* cf. Met. XI. 481: praeceps eurus, Her. XI. 14: protervus, Met. 15. 604: trux, Am. I. 9. 13: tumidi, Her. XI. 9: truculentus, Met. 1. 61, Tr. 1. 2. 28.

v. 11: *arva... Typhoidos Aetnae* pro Sicilia — bene explicat F. IV. 491:

alta iacet vasti super ora Typhoeos Aetne
cuius anhelatis ignibus ardet humus.

Met. V. 346. — Typhoeus Met. III. 303, F. 1. 574; — Typhon F. II. 461.

v. 15: Quae vulgo leguntur: *Pyrrhiades Methymniadesve puellae* patronymica sunt nomina derivata a Methymna et Pyrrha, Lesbi insulae civitatibus, ita ut apte ad illas, tamquam ad speciem, genus ipsum: *Lesbiadum cetera turba* addatur. Methymna legitur Art. 1. 57; M. 11. 55: Methymnaeae.. Lesbi; Pyrrha etsi apud Ovidium non legitur, nota est ex Mela 27. 4 et Plin. 5. 31. 39. ‚*Lesbias*' forma nusquam alibi legitur; Ovidius dicit semper Lesbis — idis, ut infra v. 100, 199—201, F. 2. 82.. aut ‚Lesbius' Tr. II. 365, III. 7. 20; Cic. Tusc. I. 31. 77: Lesbiacus. Ita a ‚Lemno' fingitur ‚Lemnias' Her. 6. 53, 139, Art. III. 672, Lemnius Met. 4. 185, 396, Lemiacus Stat. Theb. 3. 274.

v. 17. Neque Anactorie, nec Cydno, neque Atthis alibi apud Ovidium reperiuntur, attamen quoniam codices variant et haud dubie ficta sunt nomina, nihil inde colligi potest. Ex Max. Tyr. diss. 24 c. 7: *'Ατθὶς καὶ 'Ανακτορία* notae sunt.

v. 23. 24: De ‚fide et cithara' Apollinis insignibus lege Her. V. 139, Met. X. 108, Pont. IV. 8. 75; de Bacchi cornibus Art. III. 15. 17, Art. I. 232.

v. 25. Daphen, Penei filiam, nympham formosissimam a Phoebo amatam esse testatur M. 1. 452 sqq. — Gnosida Ariadnen a Baccho amatam esse narrat Ovid. M. 8. 52, 9. 668, Rem. 745, Art. I. 527, 556, III. 158, Ep. II. 79. — Gnosis a Gnoso, urbe Cretae, in qua Minois regia fuit, patris Ariadnes: Art. I. 527, III. 158; I. 556, — Prop. 1. 3. 2, Stat. Silv. 5. 1. 232, Theb. 12. 676.

v. 27. *Pegasides* sunt musae, quarum fontem Hippocrenen Pegasus ictu aperuisse narratur Met. V. 262, Fr. III. 7. 15: Pegasides undae; Her. V. 3: Pegasis Oenone. Ita quoque Prop. 3. 1. 19; Martial. 9. 59.

v. 29. Nusquam alibi apud Ovidium de Alcaeo quidquam legimus (Ibis 523), at rectum hoc epistulae auctoris iudicium, nam etiam Horat. Carm. II. 13. 24: *et te sonantem plenius aureo, Alcaee, plectro*; Carm. IV. 9. 7: *Minaces Alcaei... camenae.*

v. 34—37. Sapphonem revera fuisse statura brevi et fusco colore auctor est Max. Tyr. 24. 472: *μικρὰν οὖσαν καὶ μέλαιναν*.

v. 35... *placuit Cepheia Perseo Andromede*. Idem narratur Art. 1. 53, M. 4. 670. — *Cepheia virgo* Am. III. 3. 17; *Cepheis* Art. III. 191.—*Andromeda fusca* Art. II. 643, Am. II. 4. 40.

v. 38: viridis avis=psittacus. Cf. Am. II. 6. 21, in qua elegia (v. 12) de hoc naturali inter turtures et psittacos amore agitur.

v. 54. *Nisiades* pro *Siculi* nisi nostro loco, alibi non leguntur. Micyllus et posteriores omnes censent, Megarenses colonos ad Aetnam montem sitos indicari, quorum Nisus rex fuerit — id quod confirmat Strab. IX, Plin. III. 8, Mela II. 7, Serv. ad ecl. 1. 55. Domitius hoc nomen non a Niso rege, sed a *νῆσος* = Sicilia derivavit et Nesiades scripsit.

v. 57. *Erycina* adpellatur Venus ab Eryce, Siciliae monte, in quo templum sedemque habebat. Cf. Art. II. 419, Rem. 550 Am. II. 10. 11, III. 9. 45; Met. V. 363.—*Sicanus* pro *Siculus* Met. V. 464. 495: Sicaniam colo; XIII. 724; XV. 279: Ib. 600. Ovidius metitur Sicânus aut Sîcanus (Hor. Epod. 17. 32, Verg. Aen. V. 24).

v. 61. Cum Sappho fr. 30 matrem superstitem alloquatur, ambiguum non est, *parentem* esse patrem, quem — (Suidas in *Σαπφὼ* octo eius nomina enumerat) — vere Skamandronymum adpellatum esse Neue (fr. p. 1) et Schoene p. 737 ostenderunt. Eum *ante diem*=praematura morte obiisse a nullo vetere scriptore traditur: Ovidius et haec et alia omnia, quae de Sapphus vita narrat, ex ipsius poëtriae carminibus salvis et integris hausisse videtur.

v. 63. Frater Sapphus, qui v. 117 Charaxus nominatur, non computandus est cum Charaxo Lapitha, qui Met. 12. 272 occurrit. Illum Rhodopidis meretricis amore captum esse, auctores sunt Herodot. II. 135; Athenae. 13. c. 7, Strab. 17. p. 808, Suid. in v. Sappho. Eustathio p. 1280 alter quoque Sapphus frater, Larichos nomine, notus erat.

v. 70. Filiae ex Cercola viro conceptae Cleis nomen erat, testante Suida in v. Sappho, Max. Tyr. 24, fr. 76 apud Hephaestionem et Sapphus fr. 85.

v. 81. *Sorores* etiam alibi *Parcae* adpellantur Her. 12. 3, Am. 1. 3. 17, Met. II. 654, 8. 520, 453; 15. 781; Her. 14. 15.

v. 84. Thalia propria comoediae musa est: Her. 6. 84, Art. I. 264, F. V. 54; Tr. V. 9. 31; IV. 10. 56..; nostro vero loco poësis amatoriae musa intellegenda est, ut etiam Art. I. 264: unde legas, quod ames, ubi retia ponas, praecipit imparibus vecta Thalia rotis. Tr. IV. 10. 56, F. V. 54. Verg. ecl: 6. 2.

v. 87. Aurora fastidito Tithono marito, Cephalum venatorem formosissimum amavit ex eoque Phaëtonta filium habuit: Her. 4. 93, Met. 7. 493; 12. 661; Am. 1. 13. 33; Art. III. 84. 738.

v. 89. Phoebe sive Luna — Σελήνη — in Latmo, Cariae monte, Endymiona dilectum in omne tempus consopiavit, ut dormientem osculari posset: Art. III. 83: dormitor Endymion, Met. 1. 11; F. II. 163, Pont. III. 264, Her. 18. 63, Cicer. Tusc. 1. 38. 92; Martial. 10. 4. 4: Endymionis somnus = aeternus.

v. 91. Venus ut Adonidis iuvenis pulchritudine capta est (Met. X. 524, Art. 1. 75), ita etiam Phaonem amare posse argute dicitur.

v. 135. Titan pro luce, die Her. 8. 105, Met. 1. 10, II. 118, X. 78; F. 4. 919 et saepe.

v. 142. Mygdonius pro Phrygius etiam Her. 20. 106, Met. 6. 45. Phrygium i. e. pretiosius marmor viliori tofo opponitur etiam a Iuv. Sat. III. 18: ingenuum violarent marmora tofum, Strab. 7. 295.

v. 154. Concinit Ismarium Daulias ales Ityn'. Tereus, Thracum rex, Philomelam, Procnes uxoris sororem stupravit linguaque privavit, quare Procne Ityn filium epulandum ei proposuit. Quam ob rem Procnem in hirundinem, Philomelam in lusciniam mutatam esse Met. VI. 424 narratur. Quoniam vero in silvis nullae hirundines habitant, propterea nostro loco Procnen, Ityos matrem in lusciniam mutatam esse intellegendum est, ut id etiam Met. 6. 668, Amor. II. 6. 7, Verg. ecl. 6. 78 produnt. *Daulias ales* recte Procne adpellatur, cum Tereus eius maritus, in Daulide, Phocidis civitate, regnaverit ibique illud facinus patraverit teste Ovid. Met. V. 276, VI. 410. Ita quoque Catull. 65. 14 simpliciter de Procne: Daulias; Verg. Circ. 199: Dauliades puellae. *Itys* filius recte Ismarius i. e Thracius adpellatur, nam pater eius Tereus, Thracius rex erat. — *Ismarius* pro Thracius Met. 9. 642: Ismariae bacchae, II. 257: Ismarios

amnes; X. 305; XIII. 529, Am. 2. 6. 7; 3. 9. 21; Her. 1. 46. Ismarus enim Thraciae mons erat Verg. ecl. 6. 30, Sab. ep. 1. 60.

v. 164. Ambraciae notum est *Actiacum* vel a Leucade, insula obiecta — Met. 15. 289 — adpellatum *Leucadium* promunturium, ubi Phoebi nobile templum erat auctore Ovid. M. 13. 715: Ambraciam... Actiaco, quae nunc ab Apolline nota est. Tr. 5. 2. 76; 3. 1. 42; Prop. 3. 2. 69. Quod Loersius *Actaeum* pro Actiacum contra Francof. codicem edidit, constanti Nasonis usui repugnat, qui Actaeus a um (ab ἀκτή) semper de Attica usurpat Her. II. 6: Actaeae arces=Athenae, Her. 18. 42; M. 2. 720, 554; VI. 711, VIII. 170; VII. 681 Pont. 4. 1. 31, Ib. 334. Ceterum *Actiacum* promunturium legitur Met. 13. 715, 589; F. 1. 711: frondes Actiacae = Apollinis.

v. 179. *Amor pennas suppone.* Amor pennatus atque alatus occurrit Met. 9. 482, Ep. 16. 201; 8. 38.

v. 181. *munera ponam.* Arma, tabulae votivae, similia *ἀναθήματα* titulo aliquo insignita in templis suspendebantur auctore Ovid. Met. 7. 189; 8. 265; Her. 12. 128; 20. 235...

v. 200. *Aeolia lyra* recte dicitur, nam et Sappho ipsa et dialectus, qua usa erat, Aeolicae erant. Ita quoque Am. II. 18. 26, I. 1. 12; Horat. Carm. II 13. 24: fides Aeoliae; carm. 4. 9. 12: puella Aeolia=Sappho; III. 30. 13, IV. 3. 12: carmen Aeolium, Prop. 2. 3. 19: plectrum Aeolium.

v. 213. *Venus orta mari mare praestat amanti.* Veneris, deae rei amatoriae, maritima origo ideo cum vi effertur, ut eius in mare quoque imperium ostendatur. — Similiter Her. 7. 60: mater amorum nuda Cytheriacis edita. . aquis; Her. 16. 23: illa (mater Amoris) dedit, faciles auras ventosque secundos; Her. 16. 24. 19. 160; Met. 4. 537; Tr. 4. 5. 23, Hom. Il. 249: *Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης καὶ κραττέει πόντου.*

v. 215. *Cupido.* Am. 1. 6. 10: tenera cum matre Cupido; Am. I. 1. 3; 1. 2, 19; I. 9. 1; 2. 51; 2. 9. 1; R. 555 et persaepe.

v. 217. *Pelasgida Sappho. Pelasgis* adiectivi forma nusquam alibi legitur; semel *Pelasgias* Her. 9. 3: *Pelasgiades urbes*, semper *Pelasgus* a um M. 12. 19; 13. 13; 14. 562; Her. 14. 23; Ib. 239; F. 2. 281.

Quae igitur nomina epitheta, res et facta ad mythologiam, historiam, geographiam etc. pertinentia in nostra epistula repe-

riuntur, maximam partem bene se habent similibusque Ovidii aut aliorum scriptorum locis defenduntur. Quam congruentiam quidam viri docti firmum esse documentum putant, Ovidium ipsum auctorem esse nostrae epistulae, cum imitatori adeo recondita carminum Ovidianorum doctrina aliarumque antiquarum rerum peritia haud possit imputari. Quae argumentandi ratio plane probabilis mihi videtur, nam perlustrata tota epistula non solum cognovi, doctrinam illam re vera esse tam reconditam tamque longe petitam, quae ex diligenti Ovidianorum carminum lectione haud remanserit, sed etiam nonnulla inveni, quae imitator nunquam ausus sit. Huc pertinent adiectivi formae v. 16: Lesbiades, v. 217: Pelasgis, nomen subst. v. 54: Nisiades, quae nusquam alibi occurrunt, similibus tamen formationibus proteguntur.

Tota quoque de Sapphus fortuna et vita narratio ex ipsius poëtriae carminibus salvis et integris hausta videtur: eam sex annos natam patris praematuram mortem deflevisse, nusquam alibi legitur. Nec fabulae v. 167—170 narratae: Deucalionem ob spretum a Pyrrha amorem de Actiaco promunturio sese praecipitasse.., in veteribus monumentis servatis reperiuntur ulla vestigia. Quae res cum aut explicationem habeant aut ut falsae refutari nequeant, nullo modo imitatori tribui possunt, sed ex ipsius Ovidii antiquarum fabularum locupletissimo penu desumptae videntur.

Longe vero aliter res se habet cum v. 139:

ut quam furialis Erichtho attigit,

qui epistulae fidei paene fatalis fuit. Erichtho enim Thessalica venefica sive maga erat, cuius ope Pompeius, Magni filius, usus erat ad exploranda belli fata auctore Lucano VI. 508: *nimiae pietatis Erichtho.* Offendit vel maxime hoc, quod nulla temporum ratione habita nomen recentissimum in Sapphus tempus transfertur. Lachmannus, qui ex Lucano ab imitatore sumptum hoc nomen intendit, ineptam et non excusandam vocavit eorum superstitionem, qui nostram epistulam ex editionibus Ovidianis eicere noluerint. Quod divini viri iudicium tantum valuit, ut fere omnes viri docti in eius sententiam cesserint et epistulam adulterinum esse carmen persuasum habuerint. Nihilo tamen minus nulla alia auctoritati epistulae illata suspicio faciliorem refellendi rationem habere mihi quidem videtur, quam illa a Lachmanno mota. Nam rogo, num veri simile sit, illum virum

litteratum, qui nostram epistulam scripserit et supposuerit, omniaque, ne detegeretur, optime, ut vidimus, circumspexerit, repente tam incautum et imprudentem factum esse, ut Sapphonem nominantem fecerit magam, quae post multos annos Pompei demum aetate vixerit? Tantam socordiam et neglegentiam tam exquisitae illius imitatoris doctrinae attribui posse equidem nego. Nisi forte altera quaedam huius nominis femina, quae re vera Sapphus aetate viguerit, intellegenda est. At quoniam ullam extitisse huius nominis furiam testimonia tacent, nisi de illa Lucaniana maga de nulla alia est cogitandum. Quodsi vero neque Ovidius neque ullus imitator Erichthonem illam in Sapphus epistulam inducere potuit, sequitur, lectionem esse corruptam. Et re vera eam pristinam non esse vel inde apparet, quod in vetustissimo et optimo codice f.: *furialis Enyo*', in duobus: *furialis Erinys*, in plurimis iisque recentioribus: *ericto, hericto, erycto* legitur. Quae cum ita sint, grave illud Lachmanni iudicium, qui codicis optimi rationem non habuit et in vulgata lectione acquievit, caducum fit, quippe cui omne fundamentum subtractum sit.

Sed neque illa ‚Enyo', quamvis optimo codice defendatur, omni a parte idonea est, cum illo loco de Bellona non agatur et adiectivum ‚furialis' et verbum ‚attingere' non deam belli, sed unam furiarum exposcere videatur. Vehementer doleo, quod per leges metricas ‚Alecto' scribere non possum (Her. II. 119, Verg. Aen. 7. 324, 341. 415). Quare illa ‚Erinys' aliquot codicibus tradita utique recipienda est, cum et sententiae conveniens sit et a librario illam Lucanianam Erichtho memoria tenente facile corrumpi potuerit. ‚Erinys' legitur apud Ovidium persaepe: Met. 1. 241, 1. 725, 4. 489, 6. 84, 591, 657, 11. 9, Am. 3. 12. 39, Art. 478, Her. VI. 45, XI. 103...

§. 5.

De *arte metrica* epistularum praeter Lachmannum [1]), Hauptium [2]), Lehrsium [3]), Luc. Müllerum [4]) quam uberrime

1) Index. lectionum. Univers. Berol. 1848.
2) Epiced. Drusi p. 2.
3) Animadversiones in Heroidas. Ann. phil. et paed v. 87. p. 49 sqq.
4) De re metrica, p. 285 sqq.

Eschenburgius egit in: Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Heroiden des Ovid' et Theodor. Birtius in Rhen. Mus. XXXII. p. 389 sqq., et quidem ita, ut uterque vir seiungat genuinas Heroidas 1. 2. 4. 5. 6. 7. 10. 11 ab eis, quae a Lachmanno addubitantur 3. 8. 9. 12. 13. 14, aut plane reiciuntur 16—21, et comparet eas cum ceteris Ovidii carminibus. Quae viri docti observaverunt, ad Sapphus epistulam accommodabo.

I. Caesurae:

1. Caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* in ceteris Ovidii carminibus satis raro occurrit e. c. Her. I. 95; Art. I. 293; F. III. 863, Met. omnino vicies. I. 190, 579, II. 728..., nusquam vero in addubitatis Heroidibus aut in Sapphus epistula.

2. Caesura *πενθημιμερής* usitatissima est in nostra quoque epistula: v. 1, 3, 9, 11, 13, 15, 17, 19, 21, 23...

3. Caesura *ἑφθημιμερής* tripartita i. e. cum trithemimeri et penthemimeri e. c.

v. 7: flendus amor | meus est || elegis: ||| hoc flebile carmen satis vulgaris est: v. 5, 73, 85, 87, 111, 115, 117, 147, 151, 177...

4. Caesura *ἑφθημιμερής* tripartita i. e. cum trithemimeri et cum *κατὰ τρίτον τροχαῖον*:

e. c. ingenium | cum nulla || malum ||| sententia suadet occurrit in

1209	hexametris	Amorum . .	91
593	„	Her. genuin. .	59
1086	„	Her. dub. . .	63
110	„	ep. Sapph. .	8 (79, 149, 153, 157, 171, 195, 211, 213).

5. Caesura *ἑφθημιμερής* bipartita i. e. cum penthemimeri occurrit in

1209	hexametris	Amorum . .	72
593	„	Her. genuin. .	33
1086	„	Her. dub. . .	54
110	„	ep. Sapph. .	5 (31, 57, 61, 81, 145).

6. Caesura *ἑφθημιμερής* bipartita i. e. cum sola trithemimeri e. c: Exspectans | si mussaret || quae denique pausa fere aliena est ab Ovidio, nam reperitur

in Amoribus bis (III. 1. 25; 9. 53.)
Fastis semel (IV. 483.)
Her. genuin. semel (II. 37.)

Metamorph. quinquies (4. 591, 6. 438, 8. 509, 11. 630, 12. 506).

in ep. Sapphus semel v. 113:

postquam se dolor invenit nec pectora plangi

Ex quibus apparet, Sapphus epistulam, quod caesuras attinet, satis congruere non solum cum ceteris Heroidibus, sed etiam cum reliquis Ovidii carminibus, praeter formam 6, quae etsi fere aliena est ab Ovidio et in totis voluminibus semel bisve legitur, tamen in nostra quoque epistula reperitur et quidem cuius primus pes voce spondiaca constat, id quod sibi non concesserunt scriptores caesurarum neglegentissimi. Nam etsi infitiari nequit, vocem ‚postquam' ex duabus esse compositam, tamen nec ‚postquam' neque *etsi*, *quodsi*, similia in primum pedem intulerunt elegantiores poëtae, quare Th. Birtius argumentum inde sumpsit, quo demonstraret, epistulam non esse ab Ovidio scriptam. Equidem vero supra p. 28. versum alia etiam de causa in codicibus corruptum esse ostendo et emendationem commendo:

postquam se | torpor || minuit ||| nec pectora plangi

qua ratione et metro et dictioni optime, ut opinor, consulitur, ita ut hic versus in quaestione de origine epistulae nullum momentum habere possit.

Praeterea observatum est, quartum trochaeum vocabulo *clausum* reperiri

in 593	hexam.	Her. genuin.	36;	ergo semel inter			17	versus
1086	„	Her. dub.	81;	„	„	„	14	„
1209	„	Amorum	78;	„	„	„	16	„

in Pont. semel inter 18 versus
Trist. „ „ 29 „
Met. „ „ 17 „

In Sapphus epistula ars magis emollita est, nam quindecies —v. 11, 53, 67, 95, 99, 131, 133, 135, 143, 159, 183, 187, 189, 217, 219—post quartum trochaeum frangitur sermo, id est semel inter 8 versus, quod tamen nullam ad reprehendendum dat ansam.

Neque improbandi sunt duo versus confines, qui clausulam eandem adplicant:

v. 133: ulteriora pudet narrare sed omnia fiunt.
v. 135: at cum se Titan ostendit et omnia secum,

nam similia alibi quoque inveniri supra p. 10. ostendimus.

II. Nunc de dactylorum et spondeorum per hexametros et pentametros mixtorum ratione acturus sum. Qua in re observatio obtinet: quo dactyli praevaleant, eo acriores numeros et vehementiores esse et quo iunior poëta sit, eo maiorem esse numerum dactylorum. Quo accuratius res perspiciatur, tabellas propono has:

a) Forma hexametrorum:

dsss	in v.	3. 33. 37. 45. 71. 75. 81. 91. 107. 117. 129. 155. 201.	= 13
dsds	„	1. 5. 35. 49. 59. 61. 63. 151. 153. 157. 161. 163. 197. 211. 215.	= 15
dssd	„	19. 73. 77. 115. 127. 131. 143. 165. 175. 181. 217.	= 11
dsdd	„	57. 173.	= 2
ddss	„	9. 13. 31. 83. 141. 179. 203. 207. . .	= 8
ddds	„	7. 39. 41. 97. 111. 119. 149. 169. 185. .	= 9
ddsd	„	11. 17. 23. 27. 93. 95. 123. 125. 133. 137. 177. 187. 189. 199. 205. 209. . . .	= 16
dddd	„	51. 65. 67. 79. 109. 121. 183. 213 . .	= 8
sdss	„	21. 55. 113. 167. 193.	= 5
sdds	„	43. 87. 105. 145.	= 4
sdsd	„	15. 47. 89. 99. 101. 139. 191. 219. . .	= 8
sddd	„	171.	= 1
ssss	„	85.	= 1
ssds	„	103.	= 1
sssd	„	25. 29. 53. 69. 135. 147. 159. . . .	= 7
ssdd	„	195.	= 1
			110

Principia dactylica:	82;	Versus dactylici:	8
„ spondaica:	28;	„ spondaicus:	1
	110		

Habemus igitur propter permultos dactylos facilem et vividum, ut in ceteris iuvenilis Ovidii carminibus rythmum. Neque ille v. 85 spondiacus quidquam obstat, cum alibi quoque interdum reperiatur et quidem:

in 593 hex. Her. genuin. 9 = Her. II. 75, 77, 99; V. 43. 45; VII. 49; X. 39. 117; XI. 23.

1086 hex. Her. dub. 14 = Her. III. 89. 115; IX. 69. 109; 12. 167; 14. 107; 16. 105. 181; 17. 131. 207; 18. 163; 19. 21. 31. 119.

in 1209 hex. Amorum . . . 19
779 „ I. libri Met. . 9
110 „ ep. Sapph. . 1.

b) Forma prioris partis pentametri, nam altera pars sine exceptione ex dactylis constat:

ds: v. 4. 10. 12. 18. 20. 26. 28. 30. 32. 34. 44. 50. 52. 54. 58. 60. 64. 66. 68. 70. 72. 76. 78. 82. 84. 86. 88. 90. 92. 94. 96. 100. 104. 106. 108. 114. 116. 120. 124. 136. 206. 140. 144. 152. 158. 168. 172. 176. 178. 182. 186. 192. 204. 208. 214. . . . . . . = 55
dd: v. 2. 6. 8. 14. 22. 36. 38. 40. 48. 62. 74. 98. 102. 118. 122. 128. 130. 132. 134. 138. 142. 146. 150. 154. 156. 162. 164. 170. 174. 184. 188. 190. 194. 196. 198. 200. 202. 212. 218. 220. . . . = 40
sd: v. 16. 24. 46. 110. 112. 126. 160. 166. 180. 210. 216. = 11
ss: v. 42. 56. 80. 148. . . . . . . = 4
110

Omnia optime se habent, nam ss forma, cuius leva pars spondeis completur, non rara est, immo proxime ter repetitur e. c. Am. I. 5. 16. 18. 24. — I. 13. 40. 42. 46. — II. 11. 6. 12. 15. 30. 40. 44. — Quod v. 42 attinet, cuius primus pes uno vocabulo continetur, quamvis rarius tamen invenitur: Her. II. 2, III. 110, IV. 110, 140, VIII. 28...

III. Quod hexametri *clausulas* attinet, Luc. Mueller in Catull. praef. p. LXVII. has sex legitimas species proponit:

1. In nova fert animus mutata dicere formas
2. Est domus alta, iacent penitus defossa talenta
3. Cum loquor una mihi, peccatur littera, nam te
4. Nam neque Parnasi nobis iuga nam neque Pindi
5. Arma virumque cano Troiae qui primus ab oris
6. Cederet aut quarta socialiter hic et in, Atti.

Prima et secunda species, in quarum quinto et sexto pede verborum accentus cum rythmi accentu concurrunt, non solum alibi, sed etiam in nostra epistula usitatissimae sunt clausulae. Forma 5. semel reperitur v. 185:

cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras.

Forma 3. legitur v. 103:

nihil de te mecum est, nisi tantum iniuria nec tu.

Similia ex genuinis Heroidibus et carminibus amatoriis sunt: Her. IV. 89: durabile non est, V. 1: perlege non est,

X. 5: perdidit et tu, Am. 1. 15. 5: ediscere nec me, II. 4. 13: rustica non est, III. 4. 5: adultera mens est, III. 7. 55: perdidit in me, Art. I. 619: deprendere nunc sit, II. 595, 447; III. 151; 445; Rem. 329. 359.

Omnibus his locis antecedit illa duo monosyllaba vocabula vox dactylica et ita cum nostro versu res se habet. Sed neque hoc opus est, nam monosyllaba vox ante ultimam monosyllabam sufficit:

Trist. V. 4. 5: signabar, ad os est
V. 6. 15: tutatus es. at nunc
V. 13. 15: possit, ut ad me
Pont. II. 3. 17: et sibi quid sit. Ita quoque

Met. 4. 132; 7. 12; 7. 860; 8. 65, 862; 10. 215; 12. 618; 13. 264. 569. 593; Pont. II. 9. 7; Fast. I. 4. 39.

Clausulae forma 4. et 6. in Sapphus epist. non reperitur.

Quod pentametrorum clausulas attinet, praestantissimus quisque elegiacus poëta id laboravit, ut quantum posset, bisyllabis vocabulis pentametros finiret. Qua in re Ovidius ad eam elegantiam progressus est, ut in limatioribus carminibus—Amatoria arte, Amoribus, De medicam. faciei, Remed. amoris, nonnullis Heroidibus — pentametros vocabulis plus duarum syllabarum non finiret, —quare etiam Lachmannus quattuor Heroidas, quoniam pentametri vocabulis plus duarum syllabarum finiuntur, Ovidii non esse auctoris contendit, quae sunt:

Her. 14. 62 . . . forent generis
„ 15. 184. . . pudicitiae
„ 16. 16. . . . superciliis
„ 18. 202. . . deseruit.

Neque in primis Fastorum libris alia quam bisyllaba clausula reperitur exceptis ultimis libris e. c. F. V. 582, VI. 660. — In epist. ex Ponto, quas relegatus composuit, non ut laudem et gloriam versibus sibi pararet, set ut Augusti iram placaret et Tiberium ad misericordiam induceret, etiam ars metrica neglegentius habetur et tri = tetra = pentesyllaba, immo durissima clausula anapaestica occurrit.

In Sapphus epist. clausula pentametrorum nisi bisyllaba nulla alia reperitur.

IV. De *elisionibus* observavatum est, Ovidium non solum in amatoriis, sed etiam in ceteris carminibus suis, quantum potuisset, duras synaloephas vitare studuisse et propterea saepis-

sime breves vocales, rarius longas easque non nisi certis versus pedibus elisisse. Equidem, id quod dissertationis consilium requirit, nisi elisiones, quae in Sapphus epistula occurrunt, nullas alias respiciam.

Arses. Elisio pyrrhichii in m exeuntis vocabuli in II. arsi non reperitur in octo genuinis heroidibus, legitur tamen Art. III. 587: adde forem et duro dicat tibi..
Rem. 359: multa quidem ex illis pudor
et Tr. I. 5. 39; Pont. II. 2. 53, II. 10. 51; IV. 12. 45; F. III. 627. et duodevicies in Met. I. 488, 564, II. 48, 787; III. 204.., quare epistul. Sapphus v. 23:

sume fidem et pharetram, fies manifestus Apollo

non est vituperandus.

In III. arsi brevis syllaba in octo genuinis heroidibus elisa non legitur, in reliquis carminibus amatoriis semel: Am. III. 15. 5: *siquid id est usque a proavis vetus ordinis heres*, at quoniam in Met. Fastis, Trist. Pont. interdum occurrit, propterea in epist. Sapphus v. 83:

sive abeunt studia in mores artisque magistra

non est offendendum. Ita quoque Her. 13. 139:

arma dabit, dumque arma dabit, simul oscula sumet.

Reliquae elisiones in arsi, quae in nostra epistula occurrunt, ut v. 1. 9. 75. 103... vulgares sunt neque ullam offensam habent.

Theses. In I. thesi persaepe eliditur: Her. I. 11: quando ego, 115: certe ego; VII. 19; XII. 91; XIII. 115. 117; 15. 17; 16. 135; 17. 183; 18. 81;—ita quoque epistul. Sapphus v. 19, 81, 83.

In II. thesi brevis syllaba eliditur ep. Sapph. v. 86: atque anni.., v. 94: atque aevi.. v. 118: ante oculos.

In III. thesi eliditur ep. Sapph. v. 105: neque enim, V. 173: voce abiit.

In IV. thesi persaepe et alibi eliditur Met. IX. 38, X. 374, F. III. 377, ep. Sapph. v. 45.

In V. thesi eliditur ep. Sapph. v. 19: crimine amavi; v. 43: omnia amantes. At in omnibus his elisionibus nihil est offensionis et multa eiusdem generis elisionum afferri possunt exempla vel ex amatoriis carminibus.

Praeterea observatum est, in altera parte pentametri reperiri quidem saepius brevem syllabam elisam, ut Her. 4. 30, 144; 7. 100; 10, 86; 11. 54, 88.... et ep. Sapph. v. 130:

aptaque consueras accipere, apta dare,

nusquam vero longam syllabam vel in *m* exeuntem, quare recte viri docti contendunt, elisionem

v. 96: *non ut ames oro, verum ut amare sinas*

plane alienam esse ab Ovidio nec simili exemplo comprobari. Qua tamen ex re de fide epistulae nihil effici potest, cum corruptum esse versum et grammaticae ratio doceat, quae infinitivum pass. *amari* aut obiectum ex *amare* aptum requirit, et codices ostendant, qui pro: *verum ut* exhibent: *sed ut*, *sed quod*, *sed te ut*. Quae cum ita sint, loco corrupto medela quaerenda et aut ex codicibus nonnullis illud: *sed te ut* recipiendum, aut ex coniectura locus sanandus est: Heinsius proposuit: me sed amare sinas, Baehrens: nos sed amare sinas, De Vries:

non ut ames oro serus: amere sinas

quae emendatio mihi quidem plurimum arridet. De *serus* cf. Her. II. 101:

et tamen expecto redeas modo serus amanti.

Her. 17. 107. Verg. Aen. X. 94.

V. Ovidius in limatioribus carminibus elisionem nunquam neglegit, ut *hiatus* oriatur, nisi in altera parte hexametri, sexies post V. arsin (Her. IV. 99, XI. 13, Art. II. 185, III. 13, F. II 43, V. 83), semel post IV. arsin (Am. II. 13. 21) et semper ante nomen proprium. Quae cum ita sint,

v. 41: at mea cum legerem, etiam formosa videbar
